[illegible] 1841

Ouvrage singulier qui a été composé par trois savans d'Allemagne, d'après le conseil d'Ign. de Born.

Les éditions (1782) qui sont plus complètes que celles de 1783 ont toutes deux 117 pages; mais l'une n'a que 3 pl. et l'autre en a 6. L'ouvrage a été traduit. (into French) 1784."

— Brunet.

JOANNIS PHYSIOPHILI

OPUSCULA.

CONTINENT

MONACHOLOGIAM; ACCUSATIONEM PHYSIOPHILI; DEFENSIONEM PHYSIOPHILI; ANATOMIAM MONACHI.

Collegit, edidit & præfatus est

P. ALOYSIUS MARTIUS.

Augustæ Vindelicorum,

Sumtibus Editoris.

1784.

P. P. P. P.

FAST,

PHILOS. ET A. A. L. L. DOCTORI, ECCLESIÆ METROPOLITANÆ VINDOBONENSIS AD S. STEPHANUM CHORI MAGISTRO.

COMMILITONI SUO

OPUSCULA

JOANNIS PHYSIOPHILI

SUIS CURIS COLLECTA

D. D. D.

P. ALOYSIUS MARTIUS.

ALOYSIUS MARTIUS

FASTIO SUO

S. P. D.

Mitto tibi ſtrenuiſſime Faſtie! nitidiorem & comptiorem Phyſiophili Monachologiam, variis auctam acceſſionibus, quam denuo recudi curavi. Miraberis forte me id jam aperte agere, quod nuper publice negavi. At ſcies retractationem illam, tabellis publicis auguſtanis inſertam, me inſcio, ab occulto quodam monachismi fautore fabricatam fuiſſe, id quod ſolemniter in ſermone meo, ad populum auguſtanum die Pentecoſtes 1783. *habito, indicavi; Noſtra enim intereſt ut pateat coram omnis conditionis hominibus, quam ſtultus & præcox fuerit monachorum triumphus ob funeſtam Societatis exterminationem. Sperabant tum, calamitatem Societatis ipſorum incremento profuturam; ſentiant jam, quod unusquisque emunctioris naris prædixerat: deſertum fulcimentis ſuis monachismi æ-*

dificium properaſſe in ruinam & extinctionem noſtram verius cladem & excidium totius exercitus monaſtici, quam ſtragem ſingulæ tantum cohorti illatam, fuiſſe. Tu, cui opuſcula hæc in perpetuam amicitiæ meæ teſſeram do, dono, dedico, curabis, ut in manus omnium perveniat libellus.

Exſpecto ut de fatis, quæ in reformante hoc ſeculo apud vos de die in diem ſubit religio, certiorem me ſemper reddas. Audio quidem jam faſtidioſas & nefaſtas videri faſtiditis Vindobonenſium ſtomachis inſtructiones tuas catholicas. Sed macte animo mi Faſtie! Veniet tempus quo faſtoſa Faſtii doctrina tanquam ſemen, quod ſub hieme incredulitatis deliteſcit tantum, non vero emoritur, cum faſtu faſtigabitur in ariſtas, & fructus

fe-

feret egregios, nequaquam fastidium, sed sitim ampliorem verbi fastiani, cientes, & in hanc spem, si fas est prophetam agere, jam nunc diem fastum, quo Fastius ad fastigium dignitatis parochialis evectus fuit, cum religioso quodam fastu in fastis ecclesiæ rubra creta notari vellem.

Inviderem fere gloriæ tuæ, si esset invidiæ locus inter commilitones, quos idem zelus pro causa veræ religionis incendit, tam strenue pro aris & focis sedis romanæ dimicas, tam gloriose, exercitatus in arena atletha, triumphas! Quam magnifice semper in publico appares! præcedentibus lento passu gravisonis illis P. P. P. P. *Videor mihi videre consulem romanum suis stipatum lictoribus incedere, aut* Patrem Patriæ, Pa*cificatorem* Populorum, *vel* Præfectum

Prætorio Provinciæ Pannonicæ advehi. Sed meliori certo titulo tu quadrijugum tuum P. P. P. P. meruisti, ac imperatores illi & consules, proh dolor ! ethnici, qui nomen Parthici, Punici, Pannonici, Patris Patriæ, Protectoris Populi, Præsidis Provinciæ, & quæ sunt reliqua vanæ gloriæ attributa, non nisi sanguine cæsorum hostium & lachrymis expilatarum Provinciarum nominibus suis adscripserunt. Tu opportune Patris *titulum obtinuisti, cum Patris officiis, & castis conjugalis amoris amplexibus voto solemni renuntiasti;* Patricii *nomen in fonte baptismi feliciter suscepisti.* Præputius *unanimi populi consensu salutatus es, cum nuper victor, e pugna contra impugnatores præputii redux, salutiferum illud præputium præputiato sacerdotio vindicares; laudabiliter tandem nuperrime*

Pel-

Pelliceus *appellatus es, cum boni paſtoris officio functus innocuam tonderes ovem & pelle ovina accingeres humeros ut lubentius ſequatur grex præeuntem — paſtorem.*

Succumberem, fateor, ſub his bene partæ gloriæ ſtimulis, ſi nomen meum tot & tantis ornamentis oneraretur ac tuum; & ideo in humilitate cordis mei adoro diſpoſitionem divinam, quæ me non atletham glorioſum, ſed humilem gladiatorem, non inſtructorem & tibicinem catholicum ſed exiguum concionatorem urbiculæ vix non catholicæ eſſe voluit. Pergo nihilominus alacriter, tuo incitatus exemplo, ſatisfacere vocationi meæ & quamdiu pulmonibus meis non deficiet ſpiritus, non deſiſtam anathemizare, excommunicare, damnare omnes,

quotquot occurrent mihi, Paganos & Ethnicos, Lutheranos & Calviniſtas, Anabaptiſtas & Antipapiſtas, Sciolos & Neologos, &, qui peſſimi ſunt omnium, Janſeniſtas; non deſiſtam ſtupor eſſe & ludibrium gentibus in hac valle lachrymarum, ut merear aliquando in cœlo coronam incorruptibilem, quæ unica ſit ſpes mea & vatum.

Tu gloria tua & in hoc mundo quoque fruere; uterque tandem nil agamus, quam quod facit A. M. D. G. *Vale iterumque vale.*

Dabam Auguſtæ Vindelicorum
3. *Junii* 1784.

D:

JOANNIS PHYSIOPHILI

SPECIMEN MONACHOLOGIÆ

METHODO LINNÆANA

TABULIS TRIBUS ÆNEIS ILLUSTRATUM.

Ego autem vehementer lætor, in mea Patria inter reliqua studia ad Insecta (monastica) *etiam perquirenda, describenda, dignoscenda, commilitonum sensim excitari curam & cogitationem; nisi enim me fallit conjecturæ jucunditas, hinc futurum auguror, ut abjectissimis quidem in rebus etiam agnoscamus supremi artificis manum & sapientissima consilia. Quumque hoc pacto, omni in eum pietati, nostro satisfacere officio conati fuerimus, haud præclusa, opinor, nostræ diligentiæ, adtentisque in rerum omnium nexu animis, via erit, ad ea invenienda remedia, quæ Insectorum,* (Monachorum) *quibuscunqe noxis recte opponamus, immo spes tum nobis affulgebit, fore; ut quemadmodum cetera divinæ virtutis munera, ita Insecta* (Monachos) *quoque ad eos fines usus que convertamus, quos si assequi ubique poterimus, rerum in universum omnium creatarum nullam nocuisse intelligemus.*

Linnæus,

de noxa insectorum.

JOANNES PHYSIOPHILUS

L E C T O R I

SALUTEM.

A tempore, quo purgata a ſophiſmatis Peripateticorum mediique ævi crepundiis Philoſophia, in priſtinum, digniorem matre omnium artium, ſplendorem reſtituta fuit, Hiſtoriæ naturalis ſtudium quoque maxima cepit incrementa; Summi enim viri, in cognitionem & cupiditatem amœniſſimæ hujus ſcientiæ tracti, eam, reſectis commenticiis fabulis remotaque obſcuritate, paulo ſubtilius excoluerunt; varias rerum omnium procreatricis claſſes pervagantes, cuncta, quæ ſive in ſuperficie terræ creſcunt & vegetant, aut in viſce-

ſce-

ſceribus telluris coagulantur, accuratius examinarunt, unitisque viribus obſcuriora ſcrutantes, inventa ſua cum orbe literario continuatis curis communicarunt, & corpora quæ nos fovent, tuentur, curant, ſanantque, ſcriptionibus philoſophicis illuſtrarunt, ita ut vix intentatum aut intactum quidquam ſupereſſe, & meſſe facta, jam in ſpicilegium tantum veniendum eſſe videatur.

Rem actam agerem, ſi viros recenſerem, colligendo, definiendo & diſtribuendo totius rei naturalis apparatum, de naturæ ſtudio optime meritos, aut nomina eorum adferrem, qui unam ſolum naturæ claſſem, aut genus unum corporum, præſertim organicorum, peculiari ſtudio pertractarunt. Id vero tibi, L. B. reticere nequeo: mihi a teneris ad naturæ ſtudium non impulſo tantum ſed etiam laceſſito viſum quoque fuiſſe, omnem prope de naturæ ope-

operibus ſcribendi materiem exhauſtam, & vix reliquum eſſe aliquid, cujus neque ſcientiam neque explanationem haberemus, cum, neſcio quo fato, in memorabile illud Solonis dictum inciderim: *Noſce te ipſum.*

Aurea hac ſententia perculſus in hominem hominisque diagnoſin attentius indagavi, ſpecies varias anthropomorphas cum homine comparavi, & ecce! inopinato genus novum detexi, quod hominem, entium creatorum perfectiſſimum, cum ſimia, ſtultiſſimo animali, connectat arctius, tantumque hiatum hominem inter & ſimiam repleat: Monachum puto, genus humanam formam mentiens, quamvis diverſiſſimum ab homine.

Longe abſum ut eos, qui hiſtoriæ naruralis ſcientiam profitentur, inadvertentiæ arguam, quod verſantem

quo-

quotidie ſub oculis Monachorum gregem propius examinare hunc uſque in diem neglexerint, cum hominis vultus & figura, quam præſefert Monachus, errorem facile excuſet, & quorum ſcientiam de omnibus fuiſſe conſtat, eorum ignoratio de aliquo purgatio debeat videri. Mihi vero non poſſum non applaudere, ſtudio meo operaque tandem novum latiſſimumque apertum eſſe campum, in quem excurrant Naturæ ſcrutatores, induſtriam ſuam exercitaturi, & me quoque opportunam nactum eſſe occaſionem, rem naturalem ampliandi & pro viribus meis promovendi. Non equidem tantum mihi ſumo, ut eum eſſe me putem, qui materiam hanc abſolvat, & Monachorum innumerabilem exercitum in compendium redigat; præſertim cum eruendi prius ſint generis hujus & ſpecierum genuini characteres, & colligenda omnia, quæ de natura ſingulæ ſpeciei innotuerunt; id quod fieri nequit, donec Naturæ ſtudioſi omnes totius orbis Monachos ſibi

oc-

occurrentes aut notos, ad leges ſyſtematis majori diligentia deſcripſerint. (*)

Interea, & uſque dum excitati ad ſtudium Monachologiæ votis & hortatibus

(*) Si Hierarchia univerſa ad methodum Mammalium Linnæi ordinanda eſſet, Monachos ad *Bruta* referendos eſſe mihi videtur. Sed filo ariadneo munitum eſſe oportet eum, qui ex hoc labyrintho extricare ſeſe poſſet; Genus Monachorum fors in familias tres, ſeu in Monachos ſarcophagos, ichthyophagos. & phytiphagos diſtribuendum?

Characteres ſpecierum deſumendi a Capite, Pedibus, Ano, Cucullo, Veſtitu.

CAPUT eſt vel piloſum vel ſetoſum, vel raſum; variat capillitio hæmiſphærico, corolla piloſa, ſulcata; *Mento* imberbi vel barbato.

PEDES calceati. ſubcalceati, nudi.

CUCULLUS aut verſatilis, aut laxus, aut mobilis; & dein acuminatus, infundibuliformis, cordatus, brevis, elongatus, apice truncato, vel ſubulato &c.

bus meis annuant Phyſiologi, manipulum Monachorum methodo linnæana ex-

---

ANUS nudus, ſemitectus, tectus.

VESTITUS. *Veſtis* & *Tunica*, in qua adnotetur panni ſpecies, color, & an lata aut ſtricta. *Scapulare*, latum, ſtrictum, pendulum, ligatum, obtuſum, laticaudum; *Collare*, adſutum tunicæ, latum, rigidum, nullum; *Scutum* — *appendix cuculli* — pectorale & dorſale, ejusque figura; *Manica*, æqualis, anguſtata, larga, ſaccoſa; *Pallium*, longum, breve, plicatum, æquale; *Tegmenta interiora*, Induſium, Interula &c. *Cingulum*, latum, teres, coriaceum, laneum, linteum, nodoſum &c.

Obſervetur porro: *Clamor ſeu ſonus*, an melodus vel ingratus, cantans vel orans, gutturalis vel naſalis, clamoſus vel murmurans, flebilis vel hilaris, grunniens vel latrans? &c. *Inceſſus*, an tardigradus, feſtinans, ignavus, durus? — &c. *Habitus totius Monachi;* num auſterus vel laſcivus, ruſticus vel gracilis, gravis vel levis, modeſtus vel hypocrita &c. *Mores*: tempus clamoris, ſilentii probationis, occupatio. *Victus & Potus; Odor; Locus habitationis; Metamorphoſes; Species hypridæ*, e. g. Servita ſeptentrionalis; *Varietates ſub diverſo Climate;* Addatur *hiſtoria ſpeciei*, *ortus*, *abolitionis*, & *differentia ſexus.*

exactius definire tentavi, quem in hoc specimine tibi, amice Lector! offero. Nec inutilem aut præcocem laborem meum credes, si in animum induxeris: Principes olim, invita & dissuadente quamvis œconomia natura, exterminandis venatui & segeti nocivis animalibus, lupo, accipitre, passere &c. occupatos, jam eo curas omnes convertere, ut noxiæ humano generi Monachorum species exstirpentur, foreque ut scriptores seculi nostri, qui deperituras has species solertius determinare prætermiserunt, a posteris summæ incuriæ accusentur, si futura ætas, deficientibus certis uniuscujusque speciei characteribus, conservandas fors sculptas aut pictas Monachorum effigies a se invicem distinguere, certoque nomine definire in vanum laboraret, & ad vagas ac fluctuantes, quæ de Monachis exstant, descriptiones relegaretur.

His, quæ addam, non habeo; & ſi haberem non adderem, ne ultra præfationis limites excurram.

Dabam Auguſtæ Vindelicorum
28. Decembris. anno Chr.
1782.

TER.

TERMINI MONACHOLOGIÆ
ET
EXPLICATIO TABULARUM.

Tabula I.

f. 1. *Caput pilosum, cum macula nuda in vertice.*

f. 2. *Caput setosum, sulcatum corolla lineari.*

f. 3. *Caput rasum, capillitio hemisphærico.*

f. 4. *Caput rasum, corolla pilosa continua.*

f. 5. *Caput rasum, corolla pilosa interrupta.*

f. 6. *Velum Monachæ.*

f. 7. *Velum faciem operiens.*

f. 8. *Cucullus versatilis.*

a. Margo sinuatus et dorsum gibbosum cuculli versatilis.

b. Cuculli facies posterior apice truncato.

Tabula II.

f. 1. *Cucullus versatilis ad latus dextrum protractus.*

f. 2. *Cucullus laxus latior.*

f. 3. *Cucullus rigidus brevis, punctato-squamosus.*

f. 4. *Cucullus laxus brevior.*

f. 5. *Cucullus laxus pallii, absorbens cucullum laxum tunicæ.*

f. 6. *Cucullus mobilis, subcordatus, demissus.*

f. 7. *Cucullus mobilis, infundibuliformis, caput tegens,*

f. 8. *Demissus.*

f. 9. *Cucullus mobilis, subcordatus, caput operiens.*

f. 10. *Scutum pectorale subrotundum.*

f. 11. *Scutum dorsale angulatum.*

f. 12. *Scutum dorsale cuspidatum.*

Tabula III.

f. 1. *Cucullus mobilis acuminatus.*

f. 2. *Scutum dorsale linguiforme.*

f. 3. *Manica æqualis lata.*

f. 4. *Manica æqualis replicata, seu retusa.*

f. 5. *Manica angustata.*

f. 6. *Manica larga.*

f. 7. *Manica saccosa.*

f. 8.

f. 8. *Manica ſacculoſa.*
f. 9. *Scapulare ſtrictum.*
f. 10. *Scapulare latum.*

Tabula IV.

f. 1. *Scapulare obtuſum.*
f. 2. *Scapulare ſignatum.*
f. 3. *Scapulare lauticaudum, anticum.*
f. 4. *Scapulare laticaudum, poſticum.*

Tabula V.

f. 1. *Cingulum teres ſeu funis trinodoſus linteus.*
f. 2. *Cingulum teres ſeu funiculus linteus duplex et quinquenodoſus.*
f. 3. *Anus ſemitectus prætexta pannea.*
f. 4. *Anus caligatus,*
f. 5. *Sandalium pedis ſubcalceati.*
f. 6. *Calceus pedis calceati.*

Tabula VI.

f. 1. *Cingulum coriaceum cum fibula ferrea.*
f. 2. *Cingulum laneum.*
f. 3. *Anus semitectus prætexta lintea.*
f. 4. *Crepida lignea.*
f. 5. *Crepida coriacea.*
f. 6. *Planta pedis lignea.*

Mo-

MONACHUS.

DEFINITIO. Animal anthropomorphum; cucullatum; noctu ejulans; sitiens.

DESCRIPTIO. Corpus Monachi bipes, erectum, dorso incurvato, capite depresso; semper cucullatum & undequaque vestitum, si in speciebus quibusdam caput, pedes, anum, manusque nudas excipias. Cæterum: animal avarum, fœtidum, immundum, siticulosum, iners, inediam potius tolerans quam laborem. Oriente occidenteque sole, præsertim vero noctu, congregantur Monachi, & uno clamitante clamant alii; Ad sonum campanæ concurrunt omnes; Incedunt fere semper bini; Vestiuntur lana; Vivunt e rapina & quæstu; Mundum sui tantum causa creatum esse prædicant; Coeunt cladestine, nuptias non celebrant, fœtus exponunt;

In propriam ſpeciem ſæviunt, & hoſtem ex inſidiis aggrediuntur.

Sexus alter a mare vix differt, niſi capite ſemper velato, ſed Monacha mundior, minus ſiticuloſa, e domo, quam mundam ſervat, nunquam prodit. Junior ludibunda omnia arripit, undequaque circumſpicit, mares nutitando ſalutat. Adultior & aneſcens mordax & maligna evadit, irata maxillas ore hiante exagitat; Monachæ vocatæ reſpondent: Ave; Data venia garriunt promiſcue, tinniente campana abrupto ſermone obmuteſcunt.

DIFFERENTIA. Homo loquitur, ratiocinatur, vult. Monachus, mutus nonnunquam, ratiocinio & voluntate caret, regitur enim tantum arbitrio ſuperiorum, Hominis caput erectum, *Os homini ſublime dedit cœlumque tueri juſſit & erectos ad ſidera tollere vultus;* Monachi caput depreſſum, oculis in terram dejectis. In ſudore vultus panem quærit homo; Monachus otioſus ſaginatur. Homo inter homines habitat; Monachus ſolitudinem quærit, & ſeſe abſcondit, lucifuga. Unde patet: Monachum genus eſſe mammalium diſtinctum ab homine, medium inter hominem & ſimiam, huic proximiorem;

rem, a qua vix non voce & victu differt. *Simia quam similis turpissima bestia vobis!*

LOCUS. Habitat sponte versus Austrum, coacte versus Septentrionem; multiplicatis speciebus feraci monstrorum Africæ vix cedens.

USUS. Terræ pondus inutile. Fruges consumere nati.

I. MONACHUS BENEDICTINUS.

Monachus benedictinus : imberbis ; Capite ſetoſo , corolla lineari ſulcato ; Pedibus calceatis ; Ano caligato : Veſte nigra lanea corpus totum & pedes circumambiente ; Cucullo laxo, ſubrotundo, lato ; Scapulari pendulo, plano, latitudine abdominis ; Collari rigido, albo-emarginato ; Cingulo lato laneo aut holoſericeo ; Pallio nigro deſcendente usque ad talos. Tegmentis internis plerumque nigris, induſio e manica, anguſtata ad radicem manus, prominulo.

Habitus Monachi benedictini gracilis, inceſſus tardigradus, capite minus depreſſo.

Clamat ter quaterve de die & media nocte, nonnunquam primum ad cantum galli, ſono profundo, tardo ; & tum induitur tunica criſpo-plicata, lata, manicis largiſſimis, caput vero tegit bireto quadrangulari.

Omnivorus ; jejunat raro ; hora quarta poſt meridiem ſitit, & ad *hauſtum* convocatur ; Auri ſacra fame vexatur ; nummos ſtudioſe conquirit, & in ærarium congerit. Nonnulli vegetant tantum, alii ſtudiis delectantur, e. g. Congregatio Mauri in Gallia.

Ex-

Extra domum deponit cucullum (*) & ſcapulare cingulo ligat; caput contra aeris injurias pileolo criſtato, & pileo biplicato tuetur.

Fœmina caput velo ſubtus albo, ſupra nigro, & frontem, genas, pectusque ſudario albo abſcondit.

Varietatis utriusque ſexus infinitæ, in loco natali deſcribendæ, ignotis veris characteribus.

Habitat in collibus, *Colles Benedictus amabat*. Peregrinus in urbibus.

II.

(*) Connectit Eccleſiaſticos cucullo deſtitutos cum Monachis cucullatis; *Natura non agit per ſaltum*.

II. MONACHUS DOMINICANUS.

Monachus dominicanus, imberbis; capite raſo, corolla piloſa, lata, continua; Pedibus calceatis; Ano caligato; Tunica lanea textili alba, loro, tres digitos lato, cincta; Cucullo verſatili, verſus cervicem gibboſo, margine ſinuato, ad apicem obtuſe truncato; Appendice cuculli, ſeu ſcuto pectorali, rotundato, dorſali acuminato, cum ſutura longitudinali utrumque hoc ſcutum dividente; Manicis æqualibus latis, replicatis; Collari albo, quod vix apparet, cum potiſſimum mentum craſſum & adeps nuchæ cervicis in truncum corporis excurrat; In lucem prodiens pallio nigro laneo longo, cum cucullo ſcutoque pectorali & dorſali nigro, inferiorem album tegente, induitur. Tegmentis interioribus albis potiſſimum, manica interulæ ſtricta, infra latiorem prominente.

Fratres laici, pallio deſtituti, cucullum & ſcapulare nigrum nunquam deponunt.

Habitus Monachi Dominicani hypocrita; inceſſus laſcivus; facies perfida. Latrat media nocte, voce ingrata, rauca.

Eximio olfactu pollet, vinum & hæreſin e longinquo odorat. Eſurit ſemper polyphagus,

Ju-

Juniores fame probantur. Veterani, relegata omni cura & occupatione, gulæ indulgent, cibis ſucculentis nutriuntur, molliter cubant, tepide quieſcunt, ſomnum protrahunt, & ex Suis diæta curant, ut eſca omnis in adipem tranſeat, lardumque adipiſcantur. Hinc abdomen prolixum paſſim præſeferunt; ſenes ventricoſi maximi æſtimantur. Virginitatis ſacræ oſores in venerem volgivagam proni ruunt.

Generi humano & ſanæ rationi infeſtiſſima ſpecies, in cujus creatione non ſe jactavit auctor auctor naturæ. Prædam e longinquo ſpeculatur, & indicantibus aliis concurrit, eam niſu aſtuque adſequitur & in accenſum rogum compellit; dum circumſtans Monachorum, ſanguinem & mortem anhelantium, corona miſeræ prædæ cruciatibus inſultat, ſibique ululatu horrendo & execrabili latratu applaudens, ſpolia inter ſe dividit. Crudeliſſimum omnium inquiſitorem generalem dicunt, qui obtutu ſolo enecat. Peſſimi in Hiſpania, Luſitania, & America meridionali. Sed nec noſtrates veneno carent, lethales ſi in clima calidius transportentur. Verſipelles, jam albo jam nigro colore veſtitos, voluit natura, ut dubii omnes metuerentur ab omnibus; Ne nimium ſævirent, creator beneficus humano generi imperantes dedit, qui ſpeciem hanc aut exterminent, aut excantationibus innocuam reddant.

Mo-

Monacha dominicana præter velum nigrum & mores candidiores non differt a mare.

Sequitur M. D. leges Dominici Hifpani, qui primus in genus humanum, annuente fummo Pontifice, igne fæviit, & ne deeffent, qui rabiem hanc exterminatricem propagarent, feculo 13*tio* ordinem inftituit Monachorum, igne & ferro doctrinam prædicantium.

Simbolum fpeciei canis rabie perculfus, facem accenfam præ fe ferens, tormenta, rogum, mortemque minitans.

III. MONACHUS CAMALDULENSIS.

Monachus Camaldulenſis, barbatus, barba in pectus demiſſa; Capite ſetoſo, corolla lineari ſulcato; Ano caligato; Pedibus calceatis, planta calcei lignea; Tunica alba, pannea, rudi, pedes lambente; Cucullo rotundo laxo; Manicis æqualibus latis; Scapulari, tunicæ longitudinem æquante, ligato cingulo panneo albo: Collari ſtricto, adſuto tunicæ. Pallio albo, lato, corpus totum involvente, ad pedes usque; Interula lanea induſii loco, cum cilicio, ſpinoſo nonnunquam, dorſum radente.

Habitus Monachi Camaldulenſis auſterus; inceſſus gravis.

Gregatim cantat ſepties de die & media nocte, ſono gutturali, profundo, tardiſſimo; Silet domi; Occupatur contemplando, ut ajunt; Vegetat otioſus; Prodit rariſſime.

Victitat piſcibus, ovis, vegetabilibus; tempore jejunii legumina & farinam oleo inquinat; Sitim vino pellit.

Prodiens calceamenta lignea deponit & calceos induit.

Fratres laici loro cinguntur.

C Fœ-

Fœmina non nisi capite velato a maribus discrepat.

Habitat in montibus sylvosis.

Obediunt Camaldulenses regulæ Benedicti, e præscripto Romualdi cujusdam, qui monachos tunica alba vestitos per scalam in cœlum ascendere somniavit, & visione hac admonitus vestem nigram Benedictinorum in albam mutavit. Extincta hæc species in ditionibus Monarchiæ austriacæ anno 1782.

IV.

IV. MONACHUS FRANCISCANUS.

Monachus franciſcanus imberbis; Capite raſo, corolla piloſa continua; Pedibus ſubcalceatis; Ano ſemitecto; Tunica fuſca pannoſa; Cucullo mobili, ſubcordato, brevi; cum appendice ſeu ſcuto pectorali ſubrotundo & dorſali triangulari, decurrente infra funem trinodoſum linteum album, quo bis cingitur abdomen; Manicis æqualibus, amplis ſatis, ut intra eas manus abſcondantur; Scapulari nullo; Pallio fuſco infra anum finiente, connexo fibula oſſea circum pectus. Interula pannea induſii loco cutem fricat, cui circa nates adligatur prætexta pannea, ad genua fere porrigens.

Habitus Monachi franciſcani ruſticus; inceſſus menſuratus; Tunica undequaque ſacculis ſcatet; cucullaribus, quo comeſtibilia abſcondit; axillaribus, in quibus fermentat tabacum; pectoralibus, pro pixide; manicalibus, pro ſtrophio conſervando. Hircum olet; Auri & argenti contemptor ventrem tantum curat, quem bis quotidie carne aut piſcibus replet; Ruminat interdiu otioſus; Mendicans benefactoribus detracto cucullo herbam nicotianam porrigit; Icunculas, ſchedulas triquetras, amuleta, aliasque hujus farris nugas, mira metamorphoſi, in vinum &

cibum transmutat. Dimicat cum ſuis, & hoſtem non raro clam trucidat.

Cantat ſæpius de die & nocte media uſque ad crepuſculum, voce alta clamoſa.

Corporis vires juniorum per annum unum probantur; ſpecies ſpuria, quam Hybernam dicunt, intellectum quoque excolit.

Monacha Franciſcana tela nigra caput velat; ceterum mares imitatur.

Aſſeclarum hujus ordinis innumeræ varietates, obſcuriores, moribus, veſtitu & habitu diverſæ.

Habitat in oppidis & urbibus.

Genuinus Franciſci filius, & æternus, ſi fides habenda Patri Franciſcanorum, qui divino numine ſe afflatum putans, prædixit: interiturum prius genus humanum, quam hanc ſpeciem; ne fors turbetur œconomia Naturæ, cum, vel ſublata unica cimicis ſpecie, catena, qua creaturæ omnes cohærent, rumperetur.

Primum laborum Franſcici ſocium Porcum fuiſſe annales ſpeciei narrant. Dubius enim Franciſcus, qua ratione perſuaderet Innocentio III, ut ſuam vivendi rationem approbet, ſuem vidit in luto ſe volutantem, cujus exemplo tractus luto quoque ſe immerſit, & derelicto dein comite lutoſum ſeſe ſummo ſacerdoti oſtendit; qui motus hac pietate legibus Franciſci benedixit ad initium Sæculi 13^{ii}. Ita Sus Minervam.

V.

V. MONACHUS CAPUCINUS.

Monachus capucinus; Mento, genis & margine oris ſuperiore barbatis; Capite raſo, corolla piloſa ad ſinciput interrupta; Pedibus ſubcalceatis; Ano & collo nudo; Tunica fuſca, pannoſa, fruſtis panni abraſi undequaque adſutis, cum plicis duabus abdominalibus. Cucullo mobili, elongato, acuminato, verſus apicem ſubulato, infundibuliformi; Manicis æqualibus latis, brachia villoſa tegentibus; Scapulari nullo; Fune linteo albo trinodoſo; Pallio ad anum abrupto, quo dorſum, abdomen & manus involvuntur. Tegmentis interioribus nullis.

Habitus Monachi capucini miſer; inceſſus ignavus; facies torva, Simiæ ſatyro maxime affinis. Odorem tetrum ſpargit. In cucullo & loculis ſub axillis omnia abſcondit & conſervat. Tunica replicata absque impedimento cacat & mingit, anum fune abſtergit. Dorſum facile flectit, & ad nutum magiſtri procumbit humi. Aurum & argentum non tangit, ſed venatur pediculos, quibus vexatur, & quos non occidit; pugnat tamen cum confratribus. Rabies irati mitigatur, ſi mulceatur barba, quam ſumma cura paſcit. Ejulat fixis diei & noctis temporibus, ſono naſali, ingrato. Vorat & bibit omnia, ſilet ſæ-

pius, vix cogitat; Efuriens prodit & cibum mendicat. Stramenta pro lectulo congerit.

Monacha capucina velo fuperiore nigro, inferiore albo, utroque ad frontem fubcordato; Collo nudo; Pectore fudario albo munito.

Juniores bajulando ligna, mundando utenfilia, verrendo quisquilias, terram lambendo anno uno probantur, ut innotefcat: quid valeant humeri, quid ferre recufent.

Fratres tertiarii, capite fetofo, velut larvæ, nondum totum Monachum induerunt, & cucullo deftituuntur.

Habitat in oppidis, etiam urbibus fefe intrufit.

Soboles Francifci, reformata a Matthæo Baffi.

VI. MONACHUS AUGUSTINUS DISCALCEATUS.

Monachus auguſtinus diſcalceatus, imberbis; Capite raſo, corolla piloſa continua, pileolo nigro rotundo quinquepartito; Ano ſemitecto; Collo nudo; Pedibus ſubcalceatis; Tunica nigra pannea, lata ſatis, loro nigro, cujus fruſtum liberum ab umbilico infra genua deſcendit, lumbos circum conſtricta; Cucullo mobili, brevi, ſubcordato; ſcuto pectorali rotundato, dorſali vero in angulum acutum coarctato; Manicis æqualibus ad manum retuſis; Pallio nigro ad femora uſque porrecto, oſſiculo albo connexo; Induſio laneo.

Habitus Monachi auguſtini diſcalceati imbecillis, facies crapulenta, inceſſus titubans. Cantat de die nonnunquam, & media nocte, ſono melodo, alto; interdiu otium inter & crapulam marceſcit. Vindobonenſis inteſtina Principum, aromatibus farcta, cuſtodit.

Carnivorus; inſedabili ſiti cruciatur, ſed hydrophobus aquam non fert; dum vero ſitim aridam, miſerum torquentem, vino ſedare cupit, ſitis altera creſcit. Vino ſepultus vinum ſomniat. Gemmante vite lætius cantat.

Hebetato per vinum largius hauſtum ſtimulo, ſegnis in Venerem, ſexum alterum negligit; hinc rara Monacharum hujus ſpeciei cœnobia, nulla vero in Germania vitifera.

Habitat in urbibus & pagis prope ſylvas.

Regitur legibus Auguſtini, a Thoma quodam luſitano, an in melius an in pejus? reformatis ſæculo 16to.

VII. MONACHUS TRINITARIUS.

Monachus trinitarius, imberbis; Capite raſo, capillitio hæmiſphærico; Pedibus ſubcalceatis; Ano ſemitecto; Tunica pannea, alba, loro nigro, ad marginem ſcapularis prominulo, ligata; Cucullo laxo, albo, cum ſcuto pectorali brevi rotundato, dorſali vero longiori cuſpidato. Scapulari ſtricto, tunica breviore, ſignato. Manicis æqualibus replicatis. Pallio fuſco, femora verſus demiſſo, cum cucullo fuſco, cucullum album tunicæ abſorbente. Scapulari & pallii latere ſiniſtro cruce rubra & cærulea ſignatis; Induſio & prætexta lanea.

Habitus Monachi trinitarii gravis; Inceſſus properans; Facies exotica. Clamat media nocte voce diſſona, ingrata; Domi ichtyophagus; extra ſepta monaſterii, quamprimum aquam, ſicco quamvis pede, tranſiit, polyphagus, inteſtinis animalium ſemper veſcitur, & inde Gallis *Mange-trippes* audit. Carnem humanam appetit, nundinatione hominum occupatus. Europæos ſpoliat, prædamque piratis Africæ & Aſiæ advehit, ſervos empturus. Ex Oriente redux ſenectam, ſeu barbam, induit.

Peregrinantium & nundinatorum more propria uxore caret — nisi fors in Hispania æstuante climate — & aliena utitur. Maritus, cujus domum monachus Trinitarius subit, cornigeri cervi meminerit, qui Patres speciei, Joannem de Matha & Felicem a Valois, semper comitatur, omnesque imminentis periculi admonet. Patres hi, cervi hortatu, asseclas suos, utpote a reliquis Monachis victu & moribus jam dissentientes, separarunt & in propriam speciem coegerunt, sæculo XII.

Absoluta migratione hybernat in urbibus.

VIII. MONACHUS CARMELITA CALCEATUS.

Monachus carmelita calceatus, imberbis; Capite raſo, corolla piloſa continua; Pedibus calceatis; Ano caligato; Tunica fuſca pannea, loro nigro ad umbilicum infra ſcapulare latum conſtricta; Cucullo laxo, lato; Scuto pectorali brevi, rotundato, dorſali triangulari, apice anum attingente; Collari panneo fuſco; Manicis æqualibus latis; Pallio albo, laneo, tunicam æquante, cum cucullo laxiore & ſcuto dorſali & pectorali ſubrotundo, omnia tunicæ inferioris additamenta tegente. Induſio linteo, interula pannea.

Habitus Monachi carmelitæ calceati robuſtus; facies vegeta; frons impudica; humeri ampli, inceſſus durus.

Saginatur carne. Clamat de die & noctu voce aſpera.

Pugnax & libidinoſus jurgia & rixas quærit, ad ineunda cum ſingulis ſuæ ſpeciei Monachis certamina proclivis. Irato obviam ire periculoſum eſt. Sed & nocturnas rixas amat & Veneris certamina. Genitalibus maximis gaudens, præſertim in Gallia, mulieribus facile vim infert.

Mo-

Monacha ſequentis ſpeciei huic quoque Carmelitæ ſervit.

Habitat in urbibus.

Originem a Monte Carmelo ducit, & ſe filium Eliæ & Eliſæi eſſe jactat; ſed degener altæ virtutis patrum eſt, ſi quis unquam!

IX. MONACHUS CARMELITA DISCALCEATUS.

Monachus carmelita difcalceatus, imberbis; Capite rafo, corolla pilofa continua; Pedibus fubcalceatis; Ano femitecto. Tunica fufca, pannea, ligata loro nigro, lato, infra fcapulare ftrictum, obtufum, tunica brevius. Cucullo laxo, lato, finuato, cum fcuto pectorali fubrotundato, dorfali acuminato; Manicis æqualibus replicatis; Pallio albo panneo ad genua porrecto, cui adhæret cucullus laxus, fubverfatilis, & fcutum pectorale fere rotundatum cum dorfali triangulari. Indufio & prætexta lanea.

Habitus Monachi carmelitæ difcalceati modeftus fatis; inceffus tardigradus, paffibus quafi numeratis.

Pifcibus, ovis, lacticiniis & farina nutritur, abftinet a carne. Cerevifiam omni potui præfert, fed & vinum quotidie guftare cogitur. Cibo fatiatus ex inftituto dormit, clamat vero media nocte voce monotona, profunda. Juniores pediculofi e cœtu ejiciuntur.

Monacha carmelita, aufterior nonnihil, præter caput faciem quoque velat, & in concionem convocata pallio longiori, quam mares, veftitur.

A-

Alii gregatim habitant in urbibus, alii in eremo artificiali ſubſolitarie vagantur. Hi crepitaculum quaſi in cauda gerunt, veluti Crotalus. Quoties enim ſtimulo carnis aguntur, toties pruritum hunc ſuum pulſando campanam fratribus annuntiant, quorum unus quisque gratulabundus repetito clangore fauſto omini applaudit & ſic concupiſcentia unius per omnem ſylvam centies reſonat. Anachoretæ hi barbam paſcunt, nec deponunt ex eremo reduces.

Diſperſa hæc olim per Aſiam ſpecies in familias ab Alberto Patriarcha Hieroſolymitano anno 1205 coacta, reſtituta fuit ſeculo 19*no* a Thereſia virgine hiſpana, qua jubente, ſepoſitis caligis, anum & pedes denudavit.

X. MONACHUS SERVITA.

Monachus ſervita, imberbis ſub cœlo mitiori, barbatus in terris ſeptentrionalibus, barba bifida, ſæpiſſime ardenti; Capite raſo, corolla piloſa filiformi, ad ſinciput interrupta; Collo nudo; Pedibus calceatis; Ano caligato; Tunica nigra pannea; Cucullo mobili, ſubcordato, cum adſuto ſcuto pectorali brevi rotundato, & dorſali triangulari. Scapulari lato, ſubtus obtuſo, libero. Manicis æqualibus replicatis; Cingulo coriaceo nigro, ad pedem ſiniſtrum defluo. Pallio nigro panneo, femora verſus abrupto; Pileo lato, rotundo, circum circa caput & humeros obumbrante.

Habitus Monachi ſervitæ & facies Judæum mentitur; Inceſſus ignavus.

Cibum & potum omnem appetit. Vicinos noctu e ſomno excitat clamore gutturali, tremulo.

Avaritia & luxuries in hac ſpecie ſedem fixit. Uſurator nummos mille modis corradit & cuſtodit. Paupertatem præſefert, cum ſemper egeat avarus. Die Mercurii & Veneris uſuræ & libidinis crimina expiaturus, noverca manu in culpæ expertem anum flagellis nodoſis ſævit.

Im-

Imberbis in Italia, barbam eo fine induit in Germania, ut Joſephum Barchi Capucinum, familiarem Mariæ Julianæ Archiducis viduæ, quæ Servitam ex Italia in Germaniam transpoſuit, in gregem ſuum alliceret; gnarus: *hircum præſciſſa barba in alienos greges non tranſire.* (*) Hoc pacto Capucinus & auſtralis Servita in unum coaluit, prodeunte ex hoc connubio hybrida Servitæ noſtratis ſpecie.

Bigamus; binas enim Monacharum varietates nutrit. Aliæ reſeratæ, aliæ regulatæ dicuntur; Illæ a Servita Monacho nonniſi velo diverſæ, *neque laborant, neque nent, ſed creſcunt velut lilia campi;* Hæ ſtella cærulea in fronte, & macula rubra verſus mamillam ſiniſtram notatæ, idololatræ, Myſteria priapeja 26*ta* cujusvis menſis & ſexta Januarii celebrant, (**) Hierophante Servita.

Habitat in urbibus.

Monachus Servita ſeptem mercatoribus italis originem debet, inde Avaritiæ & uſuræ ſtudium; Primum cœnobium ſpeciei hujus in ſuburbio florentino, inde luxuries.

XI.

(*) Plinius Hiſt. nat. l. 28. cap. 13.

(**) Regelbüchel zum Gebrauch des Regelhauſes. Innſbruk 1614.

XI. MONACHUS LA TRAPPE.

Monachus la Trappe, imberbis; Capite ſetoſo, ſulco lineari circumſcripto; Lignipes, calceis enim ligneis incedit. Ano caligato; Cucullo nigro, mobili, acuminato, brevi; Tunica alba pannoſa; Scapulari nigro ſtricto, ligato cingulo nigro laneo; Manicis anguſtatis; Collari rigido albo; Induſio laneo. In concionem convocatus calceis induitur & tunica latiſſima alba, manicis largis, cucullo linguiformi, elongato.

Habitus Monachi la Trappe lugubris; inceſſus lente feſtinans; obtutus meditabundus.

Miſanthropus, hominem & propriæ ſpeciei individua fugit, oculis ſemper terræ affixis.

Mutus, ejulat corpore contortuplicato ſæpius de die & noctu, ſono murmurante flebili.

Phytiphagus, baccis, pomis, pyris, rapis, oleribus nutritur. Succo e fructibus carnoſis expreſſo potatur.

Grex Monachorum, quos aut perfidus & veſanus amor, aut omnium rerum amiſſio & deſperatio recuperandi, aut vitæ tædium

in cœtum unum congregavit. Re nulla terretur Latrappius. Meliora non expectanti mori optimum videtur; In sordibus, lamentis, luctuque continuo jacet; dormit in tumba; sapientiam, quæ ab iis, qui desperant, recedit, stultitiam esse asserit. Aegroto remedia non porriguntur, desperatis enim medicinam adhibere vetat Hippocrates. Moribundus cineribus imponitur & circumstantibus confratribus, quorum unusquisque miseri fato invidet, exspirat.

Destructionem, non vero sui multiplicationem in votis habet; nec sexum alterum cognoscit.

Solus ex omnibus Monachis laborat, arat, terramque fodit; sed fructu laboris sui fruuntur superiores speciei, qui laute vivunt & prandent. *Sic vos non vobis fertis aratra.*

Benedicti nepotes, Bernardi filii, e Cistercio in desertum profugerunt mente capti & extra spem omnem positi. Cœnobia speciei hujus rectius asyla desperantium dices, & amentium ergastula.

XII.

XII. MONACHUS PAULANUS.

Monachus Paulanus, imberbis; Capite pilofo, cum macula rotunda nuda in vertice; Pedibus calceatis; Ano caligato; Tunica nigra panniculofa lata; Cucullo triangulari mobili, punctato-fquamofo, rigido, e panno duplici acu coadunato, ita ut caput cucullo tectum cataphractum videatur; Collari nigro, albo-emarginato; Manicis largis, ad radicem manus replicatis, ad cubitum faccofis, inepte fatis ad genua usque defluentibus; Scapulari lato, fubtus rotundato, antice ad genua usque, poftice infra genua defcendente, laticaudo; Scapulare hoc utrinque futura longitudinali dividitur in partes duas æquales & fecatur futura transverfali triangulari, angulo antice furfum verfus pectus, poftice deorfum verfus anum pofito. Cingulum laneum teres, cum decurrente per pedem dextrum funiculo duplici quinquenodofo, ad mammillam finiftram colligatum, tunicam & fcapulare ftringit. Indufium, interula & tunica, quam nec noctu deponit, oleum, quod corpus tranfpirat, redolet.

Habitus M. P. luridus; inceffus ineptus, fluctuans; odorem exhalat rancidum, qui ftomachum movet, & naufeam ciet, velut oleum effufum. Nil fœtidius crepi-

tu ventris, quem explodit. Pediculis, pulicibus, omnisque generis insectis, quæ oleo fugantur, caret.

Cantat media nocte, voce clamosa: de die stertit, aut, occupatus in otio, oleum operamque perdit.

Respuit carnes, lacticinia, ova; Vescitur piscibus, & vegetabilibus, quæ oleo ungit. Culinam hanc suam fœtidam reparat nonnihil avibus aquatilibus: Fulica atra, Mergo albello, Anate querquedula, quas pro piscibus habet, & dein rana, testitudine &c. Siti inextinguibili & stimulo carnis continuo vexatur.

Fors androgynus, sexus enim alter in hac specie nondum detectus.

Fratres laici distinguuntur Scapulari antice longiori & postice breviori.

Habitat in urbibus & oppidis.

Nata hæc species in Calabria, patria oleæ, patre Francisco a Paula, obstetricante Alexandro VI. Pontifice, seculo 15*to*. Franciscum hunc, totum quantum oleo maceratum, aquæ supernatasse inter miracula ferunt; sed quis nescit oleum aquæ innatare?

ALE-

ALETHOSTOMUS
PHYSIOPHILO
S. P.

Scriptorum tuorum genus etsi erat semper a me vehementer expectatum, vicit tamen opinionem meam Monachologiæ specimen, quod per tabellarium nuper accepi, legi, & relegi; Nec potuit relegentis attentio languescere tot capta blandimentis, tot excitata aculeis. Quam opportune sibilas omnium non bipedum solum sed & quadrupedum ineptissimum genus, monachos; quam festive eos admones, quam fulse castigas, quam grata novitate & quantis illecebris moraris lectorem. Id denique mihi placet: te non scrutatum es-

ſe omnes pæne monachiſmi ſordes, ne ſtomachum moveres; non excuſſiſſe unamquamque ſpeciem, ne crebra repetitione fatigares legentes. Venit jam in manus omnium libellus; Magna undique contentio, magni clamores; Diſputatur in utramque partem, Hi ſubtilitatem & elegantiam ſtyli admirari; Sermonem jocoſum venuſtum, purum, politum, plane atticum & ad notandos hominum mores præcipuum, extollere; Summæ dicendi facultati, copiæ, ubertati applaudere; Scriptum denique tuum humanitatis, venuſtatis, ſalis, leporis eſſe ſpecimen; Illi te dicendi genus inopportunum, ambiguum, ſiniſtrum, iniquum amplexum eſſe; Sermonem eſſe jejunum, turpem, ſpurcum, fœdum, impudentem, omni obſcœnitate & opprobriis refertum; Stylum rudem negligentem, confuſum; Alii te dilucidam & diſtinctam hiſtoriæ naturalis methodum, quam neque latam neque ornatam nimis eſſe oporteat, adoptaſſe, itaque ſecundum naturam enuntiaſſe ſingula, ut ab ipſa rerum magiſtra verba accepiſſe videare; omnia vero te quadam hilaritate conſperſiſſe, quæ

ve-

velut condimentum palatum excitat & dum a tædio defendit orationem, audiendi ſitim facit. Alii te materiam religioſam acriter & cum convitio tractaſſe; Jocandi hoc genus illiberale, petulans, ſcurille, flagitioſum, & homine libero nequaquam dignum eſſe. Horridum eſſe & obſcœnum, caudam, anum, genitalia in medium adferre. Quot capita tot ſententiæ; Ridet, plaudit, miratur, excuſat te ſanior pars, cruciat, exanimat, diripit, & e Chriſtianorum cœtu exulare vult Phyſiophilum pars auſterior diſputantium; Rigidiores conſulcant frontem; diſſertiores ad menſas publico declamant; male muſſitant parum obſcurius iniqui: genus hoc ſcribendi, etſi elegans, perſonæ tamen & dignitatis non eſſe, & indicare, moribus aliquid vitii inhærere; Leges canonicas crepant fanatici; Conclamitant denique harioli, haruſpices, tertiarii, hypocritæ, aniculæ, præcantatrices, conjectrices & nigra rubigine turba, præeunte, iramque numinum evocante Gabriele Weidero, qui hiſtrioniam facit apud nos hodie, ut olim Jupiter in Plauti Amphitruone.

Ego in hac diſſenſione nec jam irritare plures nec contradicere omnibus volo. Docuit enim me experientia vehementes & acres primos plebis impetus paullatim conſilio & ratione quaſi reſtinctos conſidere & evaneſcere tandem, & hoc exſpecto momentum, ut quibuscunque rebus poſſum, tui abſentis dignitatem tuear, id quod etiam amicitiæ officium imponit. Fac interea, animo forte ſis, ſperesque fore, ut fracto impetu & gloriæ tuæ accedat incrementum, amplitudinemque nominis tui illuſtret hominum injuria. Vale.

Dabam Viennæ 3. Julii
1783.

JOANNES PHYSIOPHILUS

ALETHOSTOMO SUO

S. P.

Amicitia tua ex omni parte in literis, quas a te proxime accepi, ſe oſtendit, non ignota quidem mihi, ſed eo gratior, quod conſuetudo & ſtudia paria nos a teneris conjungant. Nec optatius mihi accidere quidquam potuit, quam judicium tuum de Monachologiæ Specimine, cui innixus perfero eorum, qui de libello male muſſitant, imbecillitatem, contemno diſſentientis & imperitæ multitudinis auctoritatem, nec non fugaces & caducas

hariolorum, haruſpicum & hujus farris homun-cionum obtrectationes. Mitto quoque delica-tulos illos, qui neſciunt: Scrutatores naturæ ſuo quamque rem nomine appellare, & dudum docuiſſe Ciceronem: (*) anum & caudam in ob-ſcœnia non eſſe.

Pueri tantum larvas & perſonas expave-ſcunt, & ideo nihil habeo quod timeam Gab-rielem Weiderum veſtrum, quem mimos imi-tari referunt & incedere altero erecto, altero compoſito ſupercilio, idque maxime latus oſtendere, quod cum iis, quas agit, partibus congruit; Narrant alii præter hæc eam eſſe Weideri ſtultitiam ut nemo hominem, eam inſcitiam, ut nemo Sacerdotem appellare poſ-ſit.

Quam,


(*) Ad familiar. l. 9. c. 22.

Quamvis vero, ut noſti, ex hominum ſermone nunquam mercedem petam, non tamen ferreus ille ſum, qui non iis reſponderem, a quibus provocor. Aſcendit, ut audio, nuperrime in roſtrum quispiam, & coram ampliſſimo Cenſorum Vindobonenſium Senatu impietatis accuſavit Phyſiophilum, quod ex hominum cœtu proſcripſerit Monachos & placari Numen æternum poſſe dixerit, etiamſi muliebribus religionibus nos non implicemus. Redux Vienna P. Capiſtranus accuſationem hanc e pugillaribus ſuis exſcriptam, & diſcipuli ſui additiunculis interpolatam, mecum communicavit.

Ego meum eſſe putavi, defenſione repellere accuſationem, & manifeſtum facere omnibus, quod, ſi cui forte videar plus in ſtudio literarum verſari, quam ceteri, nequaquam tamen iis utar, ut animos aliorum deterream & avocem a religione. Tu, quem fortuna mi-

mihi dedit amicum, in cujus pectus curas omnes deponam, curabis ut & accusantis injuria & excusatio defendentis omnibus innotescat. Vale & me ama.

Dabam Neoburgi 1. Novembr.
1783.



MUL-

MULTUM HONORANDISSIME ET
SCIENTIFICE

DOMINE

PHYSIOPHILE!

Eſt antiquum et in experientia fundatum proverbium, quod montes et valles nunquam conveniant, bene vero homines. Et in iſtis proverbiis ſemper latet aliquid veri, ſicut ſtatim videbit Dominatio veſtra. Ego ſcilicet jam a longo tempore optavi, ut poſſim venire in correſpondentiam cum D. V., cujus ſpiritum & intellectum multum præconiſavit mihi R. P. Capiſtranus a Mulo Antonii, qui eſt meus conſangineus; & quia habemus eundem S. Patrem pro fundatore (Ego enim

ſum

ſum humilis franciſcanus ſtrictioris obſervantiæ, & ille eſt laxioris obſervantiæ, quia caligas portat & calceos, & nigrum habitum & etiam funem minus craſſum, & non toties jejunat ſicut nos franciſcani, & in choro non tam fortiter clamat ſicut nos) ideo ſumus dupliciter cognati invicem, ſemel carnaliter et altera vice ſpiritualiter; ſic multam confidentiam ponit in me antefatus P. Capiſtranus, & quando venio in hanc civitatem pro collecta, ſic ſemper ipſum viſito & me multum amat. Tunc accidit, quod anteheri fuerim ordinatus a R. P. Quardiano conventus noſtri — qui aliquot milliaribus ab urbe diſtat — ut eam in civitatem pro mendicatione lardi, & ſic etiam viſitavi hunc meum carnalem & ſpiritualem Patruelem, quem inveni in lecto propter indigeſtionem, quæ eſt ejus infirmitas ordinaria; nam, inter nos ſit dictum, eſt parum vorax, & iſti fratres conventualium fere omni altero die habent duplex, quia celebrant Feſta Ordinis & Sanctorum tam ſtrictioris quam laxioris obſervantiæ, quod nos franciſcani non facimus, quia Sancti ex ordine

con-

conventualium juxta noſtram opinionem ſunt viliores quam noſtri, qui ſumus veri filii Franciſci & illi tantum ſunt ſpurii, vel potius proſelytæ; & ideo etiam ſemper in proceſſionibus & funeribus habemus præcedentiam & etiam in conciliis, quando ſuæ Sanctitati placet convocare concilium generale Eccleſiæ. Itaque quando me vidit, ſtatim mihi porrexit manum & mihi illam preſſit & exclamavit: Bene eſt, quod hic ſis Pater Onuphrie! Ego me non poſſum levare e lecto, & ideo te rogo, ut ſcribas Amico meo D. Phyſiophilo, & ipſi dicas meo nomine, quod acceperim per aliquem bonum amicum orationem iſtam, quam tenuit Viennæ perſona aliqua characteriſata & etiam eccleſiaſtica coram cenſura regia contra librum: Specimen monachologiæ; quam orationem eidem accludes, & quia habeo fiduciam in te, ideo rogo ut citiſſime hanc commiſſionem facias; quod etiam cum multa delectatione pollicitus ſum, & tantum adhuc viſitavi aliquos benefactores, qui hic ſunt rari, quia in iſta civitate ſunt multi hæretici, Lutherani & Calviniſtæ & etiam Herrnhute-

ria-

riani, quos Deus benigne velit convertere, nam iſti ſunt peſſimi, quia neque credunt in Deum Patrem, Filium & Spiritum ſanctum, & præter baptiſmum non cognoſcunt alterum ſacramentum; breviter ſunt hic mala mixta bonis, & boni ſunt rari, parum enim dant elemoſynæ, & ſæpe per totum diem non poſſum extorquere tres aut quatuor libras lardi; Tunc quando veni ad meam hoſpitiſſam, ubi ſemper dormio, ſed in omni honore, quia eſt vidua reſpectabilis & tertiaria noſtri ordinis in fama ſanctitatis, ſic ſtatim accepi plumam & ſcripſi. Sed quando volui includere orationem: Ecce! vidi quod ſit germanica; & tunc dubitavi, an V. D., quæ eſt nata in Weſtphalia ut audio, etiam comprehendat linguam germanicam; igitur ſtatim, relicta ſententia minus probabili, tutiorem ſecutus ſum, & ſtante pede hanc orationem in latinum transpoſui; ſed ſub ſcribendo variæ objectiones & argumentationes & dubitationes mihi occurrerunt, quas ſemper ex parte adnotavi, & inde non mirabitur V. D. ſi hic ſimul inveniet commentarium philologicum, ubi pro

meo

meo tenui modulo philoſophica, hiſtorica, polemica, moralia & etiam theologica congeſſi. Miror, quod iſti Viennenſes ſint tanti germanici Michaeles, & non ſciant ſcribere latine.

Rogo denique pro mea iſta opera ut V. D. velit me etiam recommendare P. Capiſtrano, ut mihi aliquando concedat ſtipendia pro miſſa, ſi aliqua habet ſuperflua, quod ſuſpicor, quia habet multos benefactores; Ego valde indigerem pro jentaculo & ſtrophiis, & tabacco; & in noſtra parva civitate P. Quardianus & Superiores, qui habent aliquam dignitatem, ſtatim omnia ſtipendia ad ſe trahunt, & nobis pauperculis nihil relinquunt. Certo etiam faciam unum Memento in Miſſa pro Dominatione veſtra, & Deus millies recompenſabit. Cæterum lætor quod habuerim occaſionem, ut ab initio dixi, innoteſcendi V. D. quod non fieri potuiſſet, ſi ipſa fuiſſet mons, & ego vallis, quod erat demonſtrandum. Recommen-

mendo me humillime ſuis precibus & benevolentiæ

Dominationis Veſtræ

Auguſtæ Vindelicorum
5ta Octob. 1783.

humillimus Servus
Fr. Onuphrius
a tentationibus Antonii Eremitæ,
p. t. Studioſus Theologiæ
in primum annum.

P. S. Ut cito & ſecure perveniat iſta epiſtola ad D. V. ſignabo eam ab extra cum litteris S. A. O. P. N. quod eſt idem ac: S. Antoni de Padua ora pro nobis, qui Sanctus eſt valde bonus pro rebus perditis, ut cito iterum inveniantur.

ACCUSATIO
SPECIMINIS
MONACHOLOGIÆ
CORAM
CENSORIBUS REGIIS VINDOBONENSIBUS.
IN
LATINUM TRANSPOSITA
A
FRATRE ONUPHRIO
O. S. F. ST. OB.

Ego deberem eſſe nimium longe excurrens, ſi coram vobis omnia elogia adducere deberem, quibus illuminati & pii Patres Eccleſiæ in omnibus temporibus regulares ordines honoraverunt & recommendaverunt. (1) di-

(1) Obſervabit Dominatio Veſtra, quod ſtatim ab initio Orator ordines regulares cum monachis confundat. Et tamen ſæpe nobis dixit P. Pachomius ab aratro Procopii, Magiſter Novitiorum — qui fuit vir vere ſpiritualis & doctus, & valde bonus amicus meus, cum quo ſæpe veſperi me in Domino cum poculo vini delectatus ſum — quod omnia quæ bona & pulchra de Regularibus apud ſanctos Patres dicuntur; de monachis tantum valeant, & non de iis Regularibus, qui non habent caputia cum liripipiis, & qui non habent privilegium mendi-

Cyprianus (*) vocat ſanctas virgines, *florem eccleſiaſticæ plantæ, ornamentum gratiæ ſpiritus, & partem nobiliorem chriſtiani gregis.* (2) Gregorius Nazianzenus, quando pro monachis loquitur, dat iis teſtimonium, (**) quod illi cum zelo ſuæ orationis, & cum merito ſuarum virtutum chriſtiano populo pro honore, eccleſiæ pro baſi & columna, fidei pro corona & omnibus pro ſuſtentaculo totius ſint.

dicantium juſto titulo a ſanctis Pontificibus; Ergo hic erravit longe Orator, & debuiſſet melius diſtinguere, quia, qui bene diſtinguit bene docet, dicit R. P. Lector.

(2) Præſtanter dicit; Ego quidem multum amo has Virgines, & præcipue Clariſſas, ſeu Franciſcanas; Fui nonnunquam viſitatum cum P. Confeſſario moniales, & vidi pulchras, quas magis amarem quam flores, & ornamenta eccleſiaſtica, e. g. veſtem miſſalem & cappam epiſcopalem, & omnem gregem chriſtianum. Promiſit mihi P. Guardianus, quod finito ſtudio theologico me ſubſtituet P. Confeſſario conventus, ſuper quo ego multum gaudebam & etiam moniales; Recte etiam facit Orator, ut mihi apparet, quod ſtatim ordiatur a monialibus, quia certe politia exigit, ut de monialibus in eccleſia primum loquamur.

(*) *Cyprianus de diſcipl. & hab. Virg.*

(**) *S. Gregor. Nazianz. pro Monach.*

ſint. Hieronymus (*) ſcribit: eſſe choros monachorum & virginum ſicut flores & ſicut pretioſiſſimus lapis inter eccleſiaſtica ornamenta. Sed nemo ſe clarius explicat, quam id Joannes Chryſoſtomus in ſuis libris fecit — quos contra impugnatores vitæ monaſticæ ſcribebat. Quidcunque tantum ex parte rationis & ex parte religionis adæquatum reperiri poſſibile eſt, (3) omne hoc iſte tam eloquens epiſcopus hoſtibus monachorum & religionis oppoſuit. Omne hoc prætereo ſilentio; unum tantum locum non poſſum non adductum relinquere, qui, quemadmodum in noſtros dies optime quadrat, ita etiam ex uno ore venit, cujus exlocutiones ipſis hoſtibus monachorum non ſuſpectæ ſunt. Eſt Fleuryus (**) quem tantum in extractu porrigo. „ Rationabilis Lector — ita ſcribit — nunquam ſe nimium contra damnatas opiniones Proteſtantium & malorum Catholicorum cuſtodiet. (4) Nomen

 Mo-

(3) Hallucinatur ſtupendum in modum, vel male ſe explicat, quia non credo quod bonam cauſam defendit, qui omnia corradere debet, ut ſe defendere poſſit.

(4) Male argumentatur. Etiam ego ſum ens rationabile, ut demonſtrare poſſum ex Philoſophia, &c ta-

(*) *S. Hieronym. Ep. 4.*

(**) *Fleury ſerm. 3. in hiſtoria eccleſiaſtica.*

monachi eſt ipſis nomen pudoris, ſicut Paganis nomen Chriſtianorum fuit. Dicebatur: Hic honeſtus vir, o ſi ille tantum non Chriſtianus eſſet! Tenentur monachi pro indoctis, blaſphemiantur, quaſi vero eſſent ſuperſtitioſi, hypocritæ & avari; (5) Audent aliqui ſatis audaciter de his maximis viris non aliter loqui, & ponunt famoſiſſimas actiones in contemptiſſimum viſionis punctum. Sed vos

tamen non multum mihi conſtat, ut me cuſtodiam contra damnatas opiniones & propoſitiones Proteſtantium; Nam nihil lego præter ſcripta R. P. Lectoris & regulam S. P. N. Franciſci, & ita certe non intrabit hæreticum aliquid in cor meum. Vellem hoc remedium alta voce omnibus Chriſtianis recommendare, quia probatum eſt.

(5) Hæc eſt vera blaſphemia. Thus & candelæ benedictæ contra ſagas, ſchedulæ S. Lucæ, exorciſmi boum & ſuum, panis contra febrem, aqua benedicta cimicifuga, cappæ lauretanæ, & aliæ hujusmodi ſacræ res nobis a ſanctis perſonis & per revelationes communicatæ ſunt, quæ certe non ſunt ſuperſtitiones. Hypocriſia apud nos non habet locum, & ſi cum P. Quardiano & cum laicis extraneis aliter loquimur, quam facimus & cogitamus; hoc exigit modeſtia religioſa, & ædificatio proximi; & de avaritia nos, qui quotidie conſumimus, quæ nobis frater coccus apponit, non ſumus reſponſabiles; ſed fors hoc tangit — ut putat P. Quardianus — Religioſos, qui tantum per abuſum gaudent privilegiis mendicantium, & tamen poſſident bona temporalia, & uſurantur.

vos, qui in hac hiſtoria doctrinam eorum, & eorum inceſſum vidiſtis, non obliviſcimini quod Baſilius & Chryſoſtomus vitam monaſticam non tantum laudaverunt, ſed etiam ipſimet apprehenderunt. (6) Judicate jam ipſi, an hi fuerint debiles ſpiritus. Ego ſcio, quod dabantur in omnibus temporibus veluti mali chriſtiani, ita etiam mali monachi. (7) Error eſt non in ſtatu eorum, ſed in corruptione carnis; Sed etiam in omnibus temporibus excitavit Deus excellentes viros, qui labantem monaſticam diſciplinam iterum ſurſum extollerunt. „ (8)

(6) Poſſet aliquis aſtutus objicere, quod loquatur Cicero pro domo ſua, ut audivi in Rhetorica.

(7) Sed Monachus malus eſt rariſſima avis, & ſi etiam eſt quidam malus, tamen non damnatur, quia prædixit nobis aliquis ex Sanctis ordinis noſtri, cujus nomen jam non reminiſcor, quod Franciſcani, & qui regulam hanc ſequuntur, non poſſint damnari, dummodo de nocte nunquam deponant tunicam, & quotidie unum Ave cum devotione orent, ergo ſemper habent præferentiam præ laicis.

(8) Veluti S. P. noſtrum Fundatorem, quia certo periiſſet Eccleſia, niſi hic Sanctus veniſſet, & introduxiſſet caputia & funes, & tunicas craſſas in eccleſiam, & exterminaviſſet caligas & tibialia, tanquam ſuperflua e ſtrictioribus obſervantiis, & ordinaviſſet, ut vivant monachi e labore aliorum, quia non convenit, ut filii Dei laborent, ſicut peccatores.

Neque etiam eſt miraculum, ſi patres & authores eccleſiaſtici, qui in veſtigia patrum ingreſſi ſunt, cum tanto zelo partes monachorum apprehenſi ſunt. Nam hi erant illi & ſunt adhuc hodie, qui non tantum præcepta noſtri divini magiſtri, quæ ſine delicto nemo negligere poteſt, punctualiſſime implent, ſed etiam ſua ſancta conſilia, quæ ad altum gradum perfectionis conducunt, cum plauſibili niſu etiam ſub ipſo ligamento feſtivi juramenti in opus ponunt. (9) Si ulterea alibi & in diverſis temporibus ordinum ſtatus divites fructus ferebant, præcipue in Germania, & in ipſis etiam vaſtis ſtatibus imperii auſtriaci; ſi per eos Germanis lux fidei exoriebatur; ſi per eos, in ipſis maledictis temporibus diſcordiarum, meliori parti lucere pergebat; ſi per eos ſcientiæ & artes introducebantur & conſervabantur; ſi ipſis magnam partem, formationem, illuminationem, religionem in gra-
tias

(9) Vellem videre, quid faceret Eccleſia ſine monachis, qui ſunt antiquiores eccleſia; quia vidi ſanctum Eliam in ambitibus conventus noſtri depictum in habitu Carmelitæ, & credo, quod Elias vixerit ante Chriſtum natum; Exſtat etiam alia pictura in oratorio noſtro, ubi Franciſcanus jam ſatis ſenex comitatur Chriſtum ad crucem, & eum ad fortiter moriendum pro redemptione generis humani exhilarat; & inde per ſyllogismum credo demonſtrari poſſet, quod nullus Chriſtianus deberet mori, ſine Franciſcano aut ſaltem alio monacho; Quid vero ſi non eſſent monachi?

tias referimus; (10) Quale miraculum, ſi imperatoris noſtri celeberrimi avunculi, altiſſimi Cæſares noſtri, ſtatus monaſticos in ſinu imperiorum ſuorum amicabiliter ſuſceperunt, & cum gratiis condecoraverunt; (11) Non habeo primo neceſſe eorum debitam laudem pronuntiare, cum omnia monumenta hiſtorica etiam ſine conatu pro iis verbum loquantur. Mihi ſatis eſt hic adnotare, quod monachi, juxta perſpicax judicium Noſtri Imperatoris non

 ſint

(10) Rogo D. V. ut mihi reſpondeat: an hoc ſit verum? ego hoc non credidiſſem, niſi hic ſcriptum legiſſem. Nec habeo remedium me ſuper hoc inſtruendi, quia cathedra hiſtoriæ jam per octo annos vacat in ſtudio noſtro tam philoſophico quam theologico, & in bibliotheca noſtra non habemus alium librum hiſtoricum quam hiſtoriam paſſionis & ordinis noſtri, in qua autem de doctis Franciſcanis nihil eſt mentionatum.

(11) Narravit nobis, cum eſſem in novitiatu, magiſter novitiorum, quod plane aliquis imperator fuerit ſepultus cum tunica monachali, cum ſcapulari & caputio, qui etiam propterea debuiſſet canonizari; probabiliter iſte etiam monaſteria fundavit. Conventus noſter non eſt tam nobilis proſapiæ; Nam piſtor aliquis, qui multum lucratus eſt in tempore, ubi Deo placuit punire peccatores caritate frumenti, ad redimendam vexam in altero mundo, omnem pecuniam ſuam legavit pro fundatione domus noſtræ & ſimul pro vino in feſtis duplicibus. Ita refert chronica domus noſtræ.

ſint filii perditi honeſtorum parentum. (12) Nam hucusque conamina ſua pro ſalute animarum ita præſtiterunt, ut multi eorum ad altiſſimum mandatum Parochis pro cooperatoribus additi & in hoc tam ponderoſum negotium totaliter inſtallati fuerint. (13)

Me ergo tam propter ſanctum officium meum, quam ſcandalum ab omnibus bene cogitantibus avertendi cauſa, ante Deum obligatum

---

(12) Metuo, ne incidat Orator in querelam & diſputationem cum P. noſtro Concionatore feſtivali, qui in feſto S. P. noſtri cum multo applauſu filium perditum evangelii comparavit cum Franciſco, quia iſte etiam in juventute ſua fuit jovialis ſtudioſus, ein luſtiger Vogel, ſicut ille; quia in luto ſe volvit, ſicut ille in cœno voluptatum; quia cum porcis converſatus eſt ſicut ille; quia nihil comedit & jejunavit quando nihil habuit ſicut ille; & quia egregie commeſſavit quando fuit feſtum duplex, ſicut ille, quando Pater ejus illum iterum in gratiam ſuſcepit.

(13) Hæc eſt hæreſis; Monachi non ſunt facti pro parochia, & hoc eſt etiam contra inſtitutum vitæ contemplativæ; quia monachus ex regula ſua exire non debet niſi mendicatum, & exorciſatum. Miror tantum, quod Epiſcopi permittant ejusmodi diſpoſitiones Principibus; ſed P. Guardianus dicit, quod pallium juxta ventum vertant. O tempora, o mores!

tum video, potens veſtrum remedium veneratiſſimi Conſiliarii Cenſuræ regiæ pro tutamine tam multorum piorum & doctorum virorum implorare. (14) Suſcipio hoc tanto confidentius in me, quanto plus ego in veſtram propriam devotionem & profundam perſpicacitatem confido. Nam titillatio ſcribendi jam eo ibat, ut nulla lex pudicitiæ, modeſtiæ, religionis amplius aliquid valere videatur, & homines, quorum fundamentalis ſcientia ludibrium fiebat, nunc gloriam ſuam in eo ponant, quod omnes limites honeſtatis, quibus ab initio adhuc continebantur, audacter ſupergrediantur; contra omne, quod ſpirituale eſt, id eſt monachos & animarum curatores, in diverſis formis temerariarum contumeliarum erumpant, & ſtudioſe & incogitanter cum univerſali contemptione Cleri (15) ſimul totum ædi-

(14) Per Deum bonum & ſtigmata ſancti Franciſci! quis unquam audivit, aut legit aliquid ſimile, quod eccleſiaſtici orent laicos; Cur ergo habent poteſtatem ligandi, & cur non excommunicant hos laicos, ſi non volunt obedire. Ego ſi deveniam Epiſcopus, quod per miraculum divinum fieri poſſet, clauderem omnes eccleſias, ut nullus mihi intraret, niſi ſaltaret ſicut ego ſibilarem.

(15) Quod Clerus contemnatur, hoc nihil facit: Eſt tantum pœna talionis, quia etiam Clerici monachos contempſerunt, & ſe meliores & ſanctiores putaverunt, quamvis habeant caligas & tibialia, & per

ædificium ſanctæ eccleſiæ & beneficæ religionis ſuffodiant.

Hoc malum non manebat ibi ſtare ubi incipiebat, ſed creſcebat tam inviſibiliter, ut paſtor & oves — dico hoc cum triſtitia cordis — everſionem religionis cum ſancta tremulatione advenire cernerent. Initio impugnabant conſuetudines, quæ ad eſſentiam religionis non pertinent, ſed per piam fantaſiam noſtrorum Patrum & per longinquum uſum in eccleſia reſpectabiles ſunt. Non ſumebant ſibi operam falſam aut hyperbolicam declarationem ſingulorum credentium, a vera explicatione eccleſiæ diſtinguendi. (16) Illudebant iis, qui hanc operam in ſe ſumebant, & in doctam aut reflexam confuſionem vertere quærebant; degradabant omnia usque ad dementiam, quia nihil tam ſanctum eſt, quod non

per conſequentiam ſint laxiores eccleſiaſtici quam nos.

(16) Quia non ſunt theologi, & ideo etiam ſe non deberent immiſcere iſtis rebus; Ego jam ſum theologus primi anni & incepi etiam dogmaticam & polemicam, & dixit mihi jam ſæpius R. P. Lector, quod natus ſim pro polemica, quia habeo pulmones fortes — venit enim ſecundum etymologiam polemica a pulmone — & tamen ego non auderem diſputare de his rebus & explicare cæremonias. Quod bene expreſſit Cicero: Sutor ne ultra crepidam.

non per obliquam directionem risibile fieri potest; (17) Projiciebant denique absque distinctione omnia fanatica & moderata, privata & communia, abusus & sacras cæremonias sub odioso nomine superstitionis insimul in unum cumulum. (18)

Deinde incipiebant tolerantiam plenis buccis prædicare, non illam christianam tolerantiam, qua nostris fratribus supergressiones & erroneitates per Dei amorem ignoscimus, & a qua hi sapientes nimium longe distant, sed potius illam, quam in corde habent, ita prout iis placet & convenit credendi & agendi. (19)

Po-

(17) In festo S. Antonii, quod est festum ordinis & etiam dies onomasticus P. Lectoris nostri, nescio quomodo acciderit, quod post prandium, postquam paullulum dormivi, veniens in chorum e mea cella habuerim caputium oblique & parum ab ante, quod deberet esse a post, & omnes confratres nostri riserunt valde, & hoc probat: quod per obliquam directionem etiam res religiosissimæ, sicut caputium est, possunt devenire risibiles.

(18) Jam ita faciunt isti homines sæculares, qui non sciunt quantum in cœlo distet caputium a Perucca crispata.

(19) Tolerantia mihi videtur verbum novum, quod non est neque in scriptura neque in theologia nostra,

Postea transibant ad annuntiatores evangelicarum virtutum, ii qui nullam missionem habebant & non semel in fundamentalibus veritatibus sanctæ doctrinæ instructi erant; & faciebant non tantum ineptas & amaras, sed etiam falsas, fallaces & mendaces eruptiones. (20) Insimul cadebant vere furiose indistinctim in servos ecclesiæ, præcipue ordines regulares, quos ecclesia approbavit, & principes susceperunt; non verebantur, vestitum, mores, usus, leges, bonum nomen, ipsarum singularum personarum, non amplius abscondite, sed publice violare, ita ut jam nemo amplius de suo honesto nomine securus sit, qui tantum tentat, unam opinionem

stra. Omnis, qui non est catholicus, est mihi juxta evangelium velut ethnicus & publicanus, & dignus ut extradatur A. R. P. grandi Inquisitori & ejus S. officio in Hispania & Portugallia, ut comburatur hic, sic comburetur in igne æterno; hæc est mea opinio, fundata supra observantiam, quæ hucusque optime profuit S. religioni & multos perversos homines, etiam s. v. Judæos ad fidem catholicam adduxit.

(20) Quomodo ergo potest aliquis judicare de aliqua re, super quam non habet missionem? quasi vero ego possem dicere & disputare cum cocco, quod aliqua daps e. g. illa, quam nos Germani vocamus Sauerkraut, non sit bene præparata, si non habeo ordinationem & missionem pro culina a R. P. Guardiano?

nem promere, quæ his tolerantibus contraria videtur.

Perſpicitis absque dubio cenſuræ regiæ venerabiles Conſiliarii, in quam ſcripturam particulariter indigitare volo; in ſcripturam in qua tam multas tangibiles calumnias contra eccleſiaſticos regulares, tam multa convicia, injurias & mendacia in rudi, ſæpe immundo, & per totum impudico tono ſuperincumulata legimus, ut nunquam aliquid tale in lutherano aut calviniſtico libro invenerimus. (21) Immo, quod adhuc plus eſt, non invenio in aliquo *libro ethnicæ antiquitatis* tam multos tractus calumniationis cum lubricis & inhoneſtis ductibus intertextos, quam noſtri tolerantiſſimi Catholici hominibus alligant, qui ſe eccleſiæ principaliter conſecraverunt & evangelica conſilia divini noſtri fundatoris pro lineali ſuæ vitæ elegerunt. (22)

Ego

(21) Iſte debet eſſe liber nequiſſimus. Audivi enim murmurare nuper P. Exprovincialem cum P. P. Definitoribus de iſto libro, & obſtupui, quando dixerunt, quod ſit adhuc pejor quam Biblia Lutheri, & addiderunt, quod ſint plures lubricitates in eo, quam in noſtris Caſuiſtis, id quod eſſet valde multum: viderem, ut poſſem legere iſtum librum, ſed ego non curo iſta mundana, ſed — ſi tempus habeo — tantum animam meam curo.

(22) Hoc probat, quod Ethnici & Turcæ antiquitatis fuerint meliores homines, quam hodierni; quia

non

Ego deberem itaque me ipſum pro rebelle & proditore mei officii aſpicere, ſi non humillimam meam reprenſentationem ad vos apportarem, & inſtanter orarem, effreni huic audaciæ impedimentum facere, pro ſuſtentatione modeſtiæ, pro tutela publicæ honeſtatis, pro ſalvatione boni nominis tam multarum ovium, quæ ſimul nobiliſſimæ partes eccleſiæ noſtræ ſunt. Pro meo nomine ego non curo; emittant furorem ſuum contra me; ego hoc ſemper conſtanti patientia perſeram, nam confido in eum, qui ſolus dat fortitudinem; ſed quod tam multos præſtantes collaboratores, qui in vinea Domini ſudorem diei mecum dividunt, (23) tam furioſe ag-

non invenimus neque in Cicerone neque in Hippocrate neque in Propertio aliquid contra monachos, neque quod Julius Cæſar vel Romulus perſecuti ſunt Chriſtianos & monachos; cum tamen hodie Patres noſtri, qui cuſtodiunt velut angeli ſanctum ſepulchrum, ſæpiſſime verbera & fuſtigationes perpetiantur a Turcis & Ethnicis in terra ſancta, quia non volunt derelinquere loca ſancta, quæ ibi exiſtunt, & e quibus habeo fruſtum lateritium, præſertim domus bethlehemiticæ, cum authentica P. Provincialis terræ ſanctæ.

(23) Debet eſſe terribilis labor in vinea Domini, ſi tantum ſudant iſti cooperatores, ut ſudorem poſſint dividere cum Domino Paſtore ſuo. Deus avertat, ut etiam nos cogamur ibi laborare & ſudare; ego jura-

aggrediantur, & eorum dignum nomen tam impudice deponant, & calumnientur, ad hoc non possum tacere. (24) Ego non examino, quis sit hujus scripturæ compositor; ego non examino locum ubi effabricata fuerit, id scio, quod ejusmodi scarteka hic vendatur, avide perquiratur & legatur.

Ego non sum ille, qui regulares sine omni exceptione pro invituperabilibus tenet. Aliqui ex illis habent suos errores, dantur inter

---

ravi tantum, quod velim esse Franciscanus, & non cooperator, & quod velim tantum bibere vinum in vita contemplativa & non laborare in vinea. Dicit quidem evangelium, quod debemus quærere panem in sudore vultus, sed de Adamo loquitur, qui fuit sæcularis, & dein de vino non fuit quæstio, quod in collecta autumnali gratis nobis dant rustici & vindemiatores, ut pro iis oremus, non vero ut laboremus, quod etiam diligenter facimus.

(24) Bene habet; si ego essem Episcopus, ascenderem in cathedram & clamarem sicut dæmon contra istos hæreticos & libertinos, & monstrarem, quod habeam capillos supra dentes, & lavarem ipsis caput, ut sudarent sicut collaboratores mei in vinea; vel sicut noster crassus frater coccus in æstate, quando facit magnum ignem in culina & cubito abstergit sudorem vultus sui, qui est sicuti plenilunium.

ter illos mala membra, quæ ſancta ſua deſtinatione indigna ſunt. Verum poteſt aliquis propter aliquos malos totam communitatem condemnare? Dantur falſi monachi — dicit ſanctus Auguſtinus in Pſalmum 132 — & nos noſcimus; ſed ideo vinculum fraternum nondum eſt disruptum, quia aliqui ſe ad id confitentur, quod non ſunt; dantur falſi monachi, ſicut etiam falſi religioſi & falſi credentes dantur. (25)

O inluminantem veritatem! cujus potentiam Eraſmus tam energice ſentiebat; ut illi teſtimonium daret; id quòd noſtros Monachomachos tam multum confundit, quam zelotice illi ſe alias pro Eraſmo declarare conſueſcunt. Quanta inſania — ſcribebat in epiſtola ad Joannem Emſtad. — ideo odere Monachum, quia Monachus eſt. Tu te chriſtianum vocas & perſequeris eos, qui Chriſto tam ſimiles ſunt. Dicetur - - - plurimos ſtare longe ab imagine primorum monachorum; Bene! ergo nos nullam vitæ methodum approbare audemus,

(25) Nihil deberet concedere, quia non convenit, ut laici ſciant, quod monachus ſit capax alicujus delicti. Ideo etiam generalia capitula noſtra ordinaverunt, ut delinquentes Franciſcani clam decapitentur, næ ſcilicet fiat ſcandalum, & ut non credant laici, quod poſſit Franciſcanus peccare.

mus, ſi nos ſemel malorum gratia etiam bonos odimus. (26)

Si concedimus inter Apoſtolos Judam valde malum fuiſſe, an ſequitur, quod ſtatus Apoſtolorum ſit malus? (27) Si concedimus, quod in Eccleſia Dei ſcandala ſint, an ſequitur, quod Eccleſia Dei ſit ſcandaloſa. Si concedimus, quod in uno ſtatu prædones dentur, an inde ſequitur, quod ſtatus ſit prædatorius. Monachi ſunt quod ſunt cum altiſſima licentia Imperatorum; ſunt ſubditi, ſunt cives ſtatus, membra unius ſocietatis, quæ unum & idem ligamentum fraternaliter vincit; ſunt ſuper

 hoc

(26) De Eraſmo debuiſſet tacere, nihil teneo de iſto homine; Aſſecuravit mihi P. Profeſſor meus in poetria, qui fuit verus & egregius Jeſuita, quod, ſi recte adhuc in memoria teneo, aut Lutherus eraſmizat, aut Eraſmus lutherizat, & qui habet aliquam ſimilitudinem cum Luthero, jam nauci eſt; ideo etiam non poſſum ſupportare Patrem Martinum, qui fuit meus condiſcipulus, quia habuit nomen lutherizans.

(27) Fuit lurco iſte Judas, quia fecit pudorem apoſtolis, & ſemper ab a catholicis affertur contra catholicos. Gaudeo mihi, quod ſe ſuſpenderit, quia odi omnes avaros, qui ſemper nos abigunt a porta, quando venimus in collecta mendicatum, vel nobis fruſtum panis porrigunt, quod ſtatim canibus do, qui etiam ſunt avari,

hoc adhuc pro instructione populi, pro prædicatione evangelii, & pro distributione sacramentorum in decem parochiis hujus capitalis nobis destinati. (28) Illi habent igitur, prout quivis civis, justum titulum sicuti pro conservatione suæ vitæ ita etiam pro conservatione sui honoris, qui est species vitæ, & sæpissime pretiosior quam vita ipsa. Quomodo audet unus privatus tentare, tam nobile bonum cum temerariis manibus spoliare. (29)

(28) Nego, saltem de Franciscanis, quorum regnum non est de hoc mundo, & per consequentiam etiam non sunt cives, & nos non ligat aliud vinculum, quam funis, quem St. Pater noster præscripsit nobis, & in regula mea nihil de instructione populi invenio, quia non sumus ludimagistri, nec parochi, sed Franciscani, quod est summum & maximum, & non mutarem statum meum cum senatore & omni suo labore. Id quod vocationem meam veram esse probat, quam usque ad ultimam guttam sanguinis defendam.

(29) Etiam non adæquate dicit; Nos monachi omni honori mundano renuntiavimus, & non quærimus nisi honores ecclesiasticos, ad quos possumus ascendere etiam sine honore mundano. Nomen meum plane non curo, quia jam in novitiatu nomen meum deposui, & nemo scit amplius, quod fui vocatus Steplizerus, & nunc vocer F. Onuphrius.

Ego confido in notam humanitatem & devotionem vestram, Censores regii! quod non permittetis, ut talis honoris spoliatio porro vendatur, & *imago* ante omnes oculos exponatur, *quæ* non sine scandalo & morum corruptione aspici potest, & quæ Deo sacratos viros coloribus tam falsis quam odiosis *pingit*. (30)

Totam alteram imaginem præsentat nobis doctus & sanctus Gregorius Nazianzenus. Sese ædificat per illorum castigationes, pervigilatas noctes, pias orationes & sanctas lachrymas. Illorum cantus, quo Deum laudant; eorum sanctæ meditationes; quibus dies & noctes consumunt; eorum abscissi & inartificiales capilli; illorum, more apostolorum, denudati pedes; (31) illorum vestitus, qui mundano luxui objectiones facit; illorum cingula & pallia, quorum ornatio in contemptione ornatus consistit; illorum virilis passus; illorum modestus oculus, illorum silens os, non erant illi objectum humilis ludibrii sed chri-

(30) In istis magnis civitatibus variæ res videntur, quæ nunquam ad nundinas nostrarum parvarum urbium adferuntur. Debet esse res pulcherrima & stupendissima ista *imago*, *quæ homines pingit*. Nos non videmus, nisi in tempore fori simias, ursos, quos vocant Tanzbären & schnelle Catharina, vel passionem in machina optica.

ſtianæ ædificationis. (*) Eorum modus pub- lice apparendi — ſcribit ultra hic ſanctus epiſcopus — & eorum methodus abſcondite vivendi, ille ad alios docendum, hæc ad ſe ipſum in myſteriis ſpiritus inſtruendum, ita ut in circulo hominum ſolitudinis ſuæ oblivi- ſcantur, & in ſolitudine ad fraternum amorem tendant; Immo quod adhuc plus & ſublimius, eorum divitiæ in paupertate, eorum poſſeſſio- nes in peregrinatione, eorum gloria in con- temptione, eorum potentia in debilitate, eo- rum *fœcunditas in cœlibatu*, (32) nam ſunt nobiliores partus, qui poſt Deum exiſtunt, quam

(31) Hoc mihi placet, quod nunc ſciam, quod etiam apoſtoli non habuerint calceos, ſicut ego. Sed ca- putium certe non habuerunt, & in hoc ſumus per- fectiores. Credo, quod iſte Gregorius Nazianzenus fuit Provincialis Franciſcanorum, vel forte plane Generalis, quia non vidit alios monachos quam modeſtos, & tantum gaudium habuit cum iſtis ſuis confratribus.

(32) Quid ſint divitiæ in paupertate & potentia in de- bilitate, hoc capiat, qui capere poteſt. De fœcun- ditate autem in cœlibatu plurima habemus exempla præſtantiſſima, quæ nemo, niſi hæreticus, negare poteſt.

(*) *S. Gregor. Nazianz. in Orat.* 1. *de pace poſt re- conciliat. interprete Jacobo Billio p.* 418. *& ſequ. edit. Pariſien.* 1583.

quam qui a carne oriuntur; interea ipſorum delicium eſt, deliciis non cadere, interea humiles ſunt propter regnum cœli, in hoc mundo nil poſſident & ſuper mundum collocati ſunt; in carne ſicut extra carnem vivunt; Deum tantum pro parte ſua agnoſcunt, propter regnum tantum agentes ſunt, & propter egeſtatem dominantur. Hi itaque meæ deliciæ & meæ divitiæ, qualiter mihi, cum præſentes erant, ſplendorem & dignitatem dabant, ita me implent, cum abſentes ſunt, luctu & amaritudine.

Omnes hos tractus beatitudinis perfectæ vitæ, & chriſtianæ ædificationis, quibus hic doctus aliquis pater eccleſiæ ſtatum monachorum pingit, compoſitor noviſſimæ ſcartekæ miſerabiliter detorſit, rudibus & fallacibus coloribus repræſentavit, & evangelica conſilia in illis viris, qui ea exercent, ludibrio plebis & riſui expoſuit. (33)

 Ideo

(33) *Væ iſti homini, doleo ex corde, de anima paupercula, quia certe eſt de facto excommunicatus, &, quod idem eſt, damnatus; deinde videbit cum ſuo dam-*

Ideo obſecro vos, venerandiſſimi cenſores regii, cum omni pia energia, quæ paſtori convenit, cui conſervatio ovium (34) ad cor jacet, ut effrenatæ libertati, contra famulos eccleſiæ ſcribendi, eo arctiores limites ponatis, quo minus ſe ſanctitas eorum officiorum cum quotidie creſcente contumelia, quæ tantum contra eos venenum effundit, comportat.

Nam etiamſi ejusmodi impudicæ ſcripturæ judicium damnationis jam in fronte portant, &

damno in inferno, an non ſit melius eſſe humilis ruſticus vel ignorans monachus, quam ſuperbus philoſophus & ſcriptor; ſed iſti homines nunquam cogitant de inferno, donec incidunt in griffos diaboli, e quibus nulla eſt redemptio.

(34) Præſtans paſtor eſt, quod de conſervatione ovium cogitet. Sunt enim in œconomia magnæ utilitatis; tondentur bis per annum, & inde fiunt ſacræ noſtræ tunicæ, & deinde verſus paſcha faciunt agnos, & ideo bis etiam per annum habemus collectam, ſemel pro lana & altera vice pro agno paſchali.

& apud honeſtos ſapientes victoriam bonæ rei confirmant, tamen quivis aculeus contumeliæ in majori & debiliori parte vulnera relinquit, quæ non tam facile curantur. (35)

Ego confido ergo primum quidem in Dei commiſerationem, qui pro ſancta eccleſia ſui unigeniti filii vigilat, dein vero præcipue in veſtram ſublimem juſtitiam, quod juxta devotionem, religionem & humanitatem veſtram huic malo, quod quotidie amplius circum ſe prehendit, remedium adhuc prius præparabitis, quam nos hujus incurabilitatem deplorare debeamus. (36) Dixi.

(35) Fors iſta ſcarteka eſt cauſa, quod non amplius ruſtici & ruſticæ tam ſæpe nobis oſculentur manus & ſacram tunicam, & ſi hoc eſſet, tunc certe mortale peccatum habet auctor, quia ſunt indulgentiæ in oſculatione manus & tunicæ & funis.

(36) Rogo ut V. D. quæ docta eſt & verſata in lectione, mihi communicet ſuum judicium de hoc ſermone, qui

qui mihi videtur valde laboriosus, quia quatuor vel quinque libros citat, & dein etiam præstans, quia nonnunquam in cor loquitur & optimam caussam, id est monachos defendit, qui est vere herculeus, vel ut tanquam ecclesiasticus cum sacra scriptura finiam, simsoneus labor, pro quo in altero mundo adhuc recompensationem accipiet. Finis.

JOANNIS PHYSIOPHILI

DEFENSIO SPECIMINIS MONACHOLOGIÆ

CORAM

CENSORIBUS REGIIS VINDOBONENSIBUS.

Si princeps ille ingenii & doctrinæ Plato tum denique beatas fore respublicas putavit, cum ii, qui eas regerent, omne ſtudium ſuum in doctrina ac ſapientia collocaſſent, non poſſum non gratulari primum quidem reipublicæ vindobonenſi, quod ei contigerit, ut ii ſummam in ea habeant poteſtatem, quibus plurimum in percipienda virtute ac humanitate ſtudium fuit, & dein mihi, cui conceſſum eſt hodie in ampliſſimo hoc conſeſſu, in quo feliciter conjuncta ſapientia & poteſtas ſedem poſuit, dicere, cauſamque meam contra

tra verbosissimum monachismi advocatum defendere. Quid enim egi aliud, cum acerbius de monachis & muliebri eorum religione dixi, quam id, quod immortalis pater tuus egit, illustrissime Suitenie! qui præstigia, excantationes, vampyros, larvas, sagas, & ariolatores e republica profligavit, & quod tu, qui summi patris vestigia premis, quod unusquisque senatorum amplissimi tribunalis, cui præes, perficere studet: ut extincta in animis imbecillis plebis anili superstitione firmior stet & sanctior religio.

Initia & causas superstitionum aggressus sum, cum sordes, ineprias, fraudesque monachorum curiosius excuterem, gnarus, sublata causa tolli tandem posse effectus. Novi quidem periculosam esse offensionem hanc propter interpositam auctoritatem religionemque; novi obscurum illud odium, quod fanatici homines, contra innovationes omnes conceptum, hucusque continuerunt, in me unum deflecti posse, qui monachos, — quos ministros religionis appellari malunt — explosi. Nec præter expectationem accidit, quod ascenderit in rostrum adversarius, qui, etsi officii sui sanctitas singularem veritatem, & gravitatem exposceret, — timide dico, sed dicendum est tamen — fraudem dolumque adhibuit, ut persuaderet: sacra & religionem negligi, violari, pollui, si tolleretur e republica superstitio, aut, quod magis est, si liceret inferre

ma-

manum facerrimis monachorum gregibus, fautoribus fuperftitionum.

Sed fretus æquitate veftra Viri graviffimi! perfpexi alienum a vobis effe, inauditum condemnare; nec fefellit me opinio; vocatus in judicium adfum, & caufæ meæ defenfionem eo lubentius in me fufcipio, quo minus pertimefcendæ mihi funt fractæ jam & inanes minæ, gregorianique illius temporis terrores, quibus me petit, quo hebetata magis funt tela, quæ in me conjecit adverfarius. Id enim agam, ut pateat: omnia, quæ actor attulit, argumenta, falfa, ridicula, & inopportuna effe; quæ vero contra monachos iniquius dixiffe accufatur Phyfiophilus, confentire opinioni Patrum Ecclefiæ, fententiis conciliorum, & oraculo graviffimorum fcriptorum. Quod ubi præftitero, veftrum Cenfores regii! quorum auctoritati, prudentiæ, & judicio princeps optimus ea, quæ de facris & religione tam privata quam publica fcribuntur, fubjecit, gratum adnutum, qui fumma fit laboris mei merces, exfpecto, relictis adverfario acclamationibus plebeculæ, & voculis anicularum.

Obfervaftis Judices! quam callide actor in proemio dictionis fuæ non monachorum tantum fed totius facerdotii defenfionem in fe fufceperit, ac fi hoc quoque impetiiffet Phyfiophilus. Audiviftis, quam aftute Ana-

cho-

choretas priſcæ eccleſiæ, cum degeneri monachorum noſtrorum grege confundere ſtuduerit, ut, quæ de illis bene apud Patres Eccleſiæ dicta ſunt, de his quoque dicta eſſe videantur. Egit hoc, ut attentionem, animos, & quandam quaſi commiſerationem audientium ſibi conciliaret, indignationem vero contra irreligioſum adverſarium meliori quodam titulo excitaret. At, Deum immortalem teſtor, veſtrasque mentes Judices, & conſcientiam maxime meam! neminem magis perſuaſum eſſe, quam ego ſim, quod ſi numini æterno ſummus cultus & honos debeatur, ejusdem reverentiæ partem quandam in eos quoque transferendam eſſe, qui ad ſacra facienda Deo dicati ſunt! Debent enim ibi eſſe prœmia honoris, ubi ſunt merita virtutis; nihilominus tamen mihi videri, piaculum eſſe: deſidioſiſſimam monachorum turbam religioſo ſacerdotum collegio adcenſere, eodemque honore vanæ ſuperſtitionis ſacrificulum proſequi, qui ſacroſanctæ tantum religionis miniſtro debetur.

Longe quoque abſum, ut raros illos primitivæ eccleſiæ viros vituperem, qui, poſtquam reipublicæ commodis, ut bonum civem oportet, ſervierunt, ſeceſſerunt a tumultu, ceterisque rebus omnibus pro nihilo habitis, ſemetipſos & imminentem æternitatem ſolertius meditati ſunt, aut honeſtum otium ſponte nulloque adſtricti ſacramento amplectentes, non modo ipſi hebeſcere, & languere noluerunt,

runt, ſed etiam, ut pluribus prodeſſe poſſent, laudabile otium in ſcribendis & docendis præceptis honeſtatis & religionis conſumentes, vitæ ſuæ curſum in labore corporis & animi contentione confecerunt. Si vero id reprehendi nequit, quod venerandis his ſolitariis ſemper laudi datum eſt & ſemper erit maximæ gloriæ, quis non indignabitur ſervo & immitatori pecori, quod, quum per ætatem omnem otio diffluat, graves illos eccleſiæ patres, agnatos ſuos & nobilem quaſi proſapiam appellare ſolet, quamvis nil agat aliud, quam quod pſalmos ſuos, numeratos illos quidem at non intellectos, ſtentoria voce in templis derudat, & cum ſacras inertiæ manus labore profanare irreligioſum putet, panem pro foribus magno magitu efflagitet, non ſine mediocri verecundæ paupertatis & mendicitatis jactura.

Aſpicite Judices! Aſpicite innumeras has centonatas, tunicatas, cucullatas, & mille modis perſonatas monachorum varietates, & attendite quam ſulſe eas ſibilet Eraſmus, idem ille Eraſmus, quem pro monachiſmi præſtantia teſtem attulit actor. Aſpicite hos greges, qui ſordibus, inſcitia, ruſticitate apoſtolos, ut ajunt, nobis referunt, quorum mirum ſtudium eſt: non ut Chriſto ſimiles ſint, ſed inter ſe diſſimiles; qui pietatis, & religionis apicem ſe attigiſſe credunt, ſi ſciverint: quo colore ſingulam veſtem, & quot diſcriminibus, ſecundum mentem fundatoris, variegandam; qua materia quotque culmis latum cin-

gu-

gulum, qua ſpecie, & quot modiorem capacem cucullam, quot digitis latum capillitium eſſe oporteat, ut grex a grege, monachus a monacho diſtinguatur; qui invicem alii alios ob aliter cinctam veſtem, ob colorem paulo fuſciorem contemnunt; aſpicite hos, qui contactum pecuniæ ceu aconitum horrent, nec a vino interim nec a mulierum contactu temperant; illos, qui funigeri & inter hos alii coletæ, alii minores, alii minimi appellari gaudent, hos qui ſe Benedicti, Bernardi, Antonii, Auguſtini, Dominici, Eliæ filios eſſe gloriantur, quaſi parum eſſet dici chriſtianos. Illos oſtendentes ſesquipedes ventres, omni piſcium genere diſtentos; hos pſalmorum centum effundentes modios; illos ſpongiæ vitam agentes, ſemper eidem affixos loco. Omnes tandem ſuis ſolum innixos cæremoniis, & hominum traditiunculis, immemores: Chriſtum, contemptis his omnibus, quondam ſuum illud charitatis præceptum exacturum eſſe, & ambulantem inter homines unigenitum Patris filium non cucullis, preculis, aut inediis, ſed fidei & charitatis officiis regnum ſuum pollicitum fuiſſe.

Hos perſonatos circulatores, hos comædos, & mimos, auſtero habitu plebem faſcinantes, fulcra religionis eſſe, & ornamenta eccleſiæ prædicat actor; hos ad firmandam fidem ſecum in vinea domini collaborantes Dei ſervos ludibrio fieri queritur, quamvis neſcire non poteſt: monachos legibus eccle-

liæ

ſiæ ab officii ſacerdotji excludi. (a) Hos qui ſummam exiſtimant eſſe pietatem, ſi usque adeo nihil attigerint ſcientiarum, ut ignorare cuncta divina & humana primo intuitu videantur, cuſtodes, conſervatores, & promotores ſcientiarum fuiſſe jactitat, cum laici in turbulenta illa medii ævi epocha illos, qui de ſummis priſcæ ætatis viris ad eos usque pervenerunt, ſapientiæ theſauros in cœnobia, veluti nullo modo violanda aſyla, depoſuerint. O vigilantiſſimos & incorruptiſſimos cuſtodes! qui omnia hæc, quæ a laicis obtinuerunt, ſcientiarum inſtrumenta intacta quoque reliquerunt, & quibus alii uti prohibebantur, ipſi manus inferre ſacrilegum putaverunt ita, ut ævum illud adhucdum barbarum & obſcurum audiat, quo ſcientiæ & artes cuſtodiæ monachorum creditæ fuerant. Non diſſiteor quidem ad excollendam patriam telluplurimum contuliſſe monachos. Novimus exciſas eorum potiſſimum cura incultas Germaniæ ſylvas, ſtercoratos fructuoſioresque redditos agros, cum in vicinia cœnobiorum, adſcripti glebæ monaſticæ ſervi, ſexcentum aratris terram verterent, ut ſaginarentur mona-

(a) Singuli quoque monachi per villas & oppida non debent diſcurrere, nec per quascunque parochiales eccleſias diſponi; quod in regularibus, cum regulæ inſerviant laxiori, ſpecialiter cautum non invenitur. *Inſtit. Jur. canon. lib. 1. tit. 30.*

nachi. Verum enim vero num majus quid præſtiterunt, quam hodiedum ſuum greges in deſertis Africæ & Americæ? qui purgatam a ſerpentibus & reptilibus terram roſtro ſuffodiunt & præparant, quo facilius ſub aratris eo deducendæ coloniæ manſueſcat. Jam functi ſunt officio ſuo monachi. Optime igitur nobis proſpiciunt principes, cum detractos in illa temporum injuria fundos ab iis repetunt, qui collocatas in agros fœnoris partes ingenti cum uſura dudum receperunt; injuſtiſſimum enim foret labore partos terræ fructus innumeræ in diesque adcreſcenti monachorum turbæ, qua otioſiorem non habet reſpublica, in detrimentum civium ſuppeditare;

Exſtirpetur jam fœda hæc mendicitas, quæ dum nutriri cupit, laborem omnem reſpuit. Immolentur jam hæ ſumtuoſæ hoſtiæ æterno numini ad expiandam inſaniam & ſuperſtitiones, firmandumque fœdus cum ſanctiore religione.

Videtur actor inopportunitatem & falſitatem argumentorum animadvertiſſe, quæ pro clientibus, quorum patrocinium nemo in ſe ſuſcepiſſet, attulit. Sed ne intentatum quid aut cauſam omnem derelinqueret, tandem actionis ſuæ vela quodam quaſi commiſerationis vento inplevit; ad lamenta lachrymasque confugit; religionem pietatemque veſtram adjuravit, & fors vir, movendarum lachryma-

rum

rum peritiſſimus, hoc impetu quendam auditorum in partes ſuas adduxiſſet, niſi, ut eos, quos propriis laudibus ornare non potuit, alienis oneraret, intempeſtive admodum teſtes ſuos proferendo triſtes illos ſolviſſet affectus, animumque ab intentione orationis avertiſſet. Cyprianum advocavit, cujus ætate nullius ſexus monachum per omnem occidentem fuiſſe nemo ignorat. Fleuryum, & Eraſmum Roterodamum, flagella monachiſmi, Gregorium Nazianzenum, agapetarum ſeu monachorum intemperiem & laſciviam acerbiſſimis epigramatis reprehendentem, teſtes cauſæque ſuæ defenſores conſtituit, nec erubuit teſtari: ipſos, qui, ante Chriſtum natum, per omnem orbem exſtiterunt ſcriptores non tam ſacrilege in monachos deſæviiſſe ac Phyſiophilum, quamvis veræ religionis lux iis nunquam affulſerit. Si hoc ridiculum convocato in concionem populo videbatur; ego quidem ſine maximo dolore obſervare non potui: quod ſi eſſet in iis, in quibus deberet, ſumma ſapientia, non laboraremus. Nec enim is ſum, qui tantum impudentiæ tribuam adverſario, ut eum, cum ridicula hæc & abſurda enarraret, auctoritati & gravitati veſtræ illudere auſum fuiſſe, affirmarem.

At abuterer patientia veſtra judices, ſi diutius impugnarem ea, quæ pro monachiſmi præſtantia dixit accuſator; pro Phyſiophilo jam dicendum eſt, qui impietatis accuſatur, quod ex hominum cœtu monachos proſcripſe-

 rit,

rit, nec non eos avaritiæ, gulæ, inſcitiæ, dementiæ immerito arguerit. Graves ſunt, ut vidiſtis judices! ictus, quos intentat mihi adverſarius; pace vero veſtra me ſcuto veritatis, quo tegor, eos facile declinaturum aut excepturum ſpero.

Cum ad animantia relegaſſem monachos non tam naturam ducem, quæ tantum diſcrimen hominem inter & monachum poſuit, quam D. Chryſoſtomum ſecutus ſum; comparavit is homines monaſticam diſciplinam ſectantes avibus, vocavit monachos paſſeres, ſanctimoniales vero turtures. (b)

Attentius hoc ſapientiſſimi viri effatum examinando, inveni quidem: ejiciendum eſſe — ut dudum oportere ſuſpicabar — ex hominum cœtu monachum, avibus tamen adcenſeri non, niſi invita natura, poſſe; etiam ſi

(b) *Chryſoſtomi opera. Edit. Montfaucon. Pariſiis.* 1718. *græce & latine. T. V. pag.* 748. *in Pſalm.* 583. Quod autem verius eſt, paſſerem vocat hominem, qui monaſticam philoſophiam ſectatur. Multa enim in eum, quæ ad paſſerem pertinent, conveniunt. Non habet domum in terra, non ſollicitus eſt de craſtino, vili cibo utitur; turturem vero dicit virginem caſtam, ob caſtitatem & ſolitudinis amorem, ob querulam vocem

ſi ſalacitas paſſeris monacho, & queruli concupiſcentis turturis gemitus monachæ optime conveniant; e rapina monachos vivere, usque adeo notum eſt, ut rapacitas monaſtica in proverbium abierit. Si ergo avibus adnumerari poſſent, eos ad rapacium ordinem pertinere ornithologorum nemo negabit; ſuadente id etiam D. Ambroſio, dum monachos, qui aliena quærunt, recte accipitres nominandos eſſe pronuntiat. (c) Accipitres autem, vultures & quæ ſunt hujus generis volucres ſitim diutiſſime ferre, omnisque expertes eſſe modulationis vocis experientia docuit. Num vero ſiticuloſius quid monacho? an non cantat aut cantillare conatur e cucullatorum grege unusquisque? Diſcrepant igitur ab his, qui accipitrum genus conſtituunt, characteribus monachi, nec ullum certo oſcinum alitumve genus reperiri poteſt, quo annuente natura collocarentur; quamvis opportunum eſſet maxime generi humano, ſi bipedes hos implumes confundere plumigeris liceret, cum mortales cuncta bonis ſemper & præpetibus avibus auſpicarentur, quia nunquam eſcam recuſaret monachus, & ſemper paſceretur, (d) nec eum mergi neceſſe eſſet, ut

 bi-

(c) *Ambroſius Orat. de obitu fratris.*

(d) Nam ſi paſcerentur (pulli) bonum augurium erat, ſi non paſcerentur, malum. *Aul. Gell.*

biberet. (c) Hæ rationes me moverunt, ut aliud animantium genus exquirerem, quo reponeretur monachus. Respondeat jam accusator: an iniquius egerit Physiophilus, qui monachum, anthropomorphum animal, cum homine fere conjunxit, quam summæ sanctitatis, & integritatis vir Chrysostomus, qui eundem in imbecillimam bipedum classem, quæ tanto intervallo ab homine disjungitur, rejecit. An sanctius quid dixisset? si monachum Servitam inauspicatum corvum, Carmelitam salacem passerem, Franciscanum stolidum struthiocamelum, Dominicanum vulturem ossifragum, Capucinum fœtentem upupam, Latrappium tristem noctuam, Trinitarium temporarium cuculum, Paulanum lutosum mergum, monachas autem garrulos psittacos, & divinatrices corniculas vocasset.

Non minori moderatione usus sum, dum monachorum vitia recensui, eaque inhærere ac penitus insita esse cuivis monachorum speciei, aut omnibus asserui. Num enim moderatius patres & concilia ecclesiæ, quæ digna pudore sunt vitia, objecerunt monachorum gregibus? cum iis exprobrassent: a tempore quo

(c) Claudius Pulcher apud Siciliam non pascentibus in auspicando pullis ac per contemptum religionis mari demersis, quasi ut biberent, si esse nollent, prælium navale iniit. *Suet. Tib. 2.*

quo avaritia in monasteria immigravit, luxuriam quoque & cupidinem rapiendi, consumendi, aliena devorandi, ea invasisse, fidem, probitatem & bonas artes exulasse, pro his superbiam, crudelitatem, ignorantiam irrepsisse, divina neglecta & venalia habita fuisse, indeque scelera omnia erupisse. (f) Monachos paupertatem mentiri, & inter divitias male partas sepeliri. (g) Eos flagitiose venereas voluptates concupiscere, iisque turpiter frui, & exerceri in ipsis monasteriis lupanaria; (h) labefieri & minui eorum mentes turpis-

(f) *Nili Abbatis tractatus seu opuscula, e codicibus manuscriptis vaticanis, cassinensibus &c. eruta; græce & latine; edidit Josephus Maria Suaresius. Romæ 1763. fol. Tractat. de monastica exercitatione cap. 7. 11. 12. & reliqu.*

Imputatur fratribus, quod avaritiæ causa hominibus persuadeant, ut abrenunciantes seculo res suas ecclesiæ conferant. *Concil. Cabillon. II. Cap. 6.*

(g) Monachi sub religionis titulo injusta compendia exercent - - Plenis sacculis moriuntur divites, qui quasi pauperes vixerunt. *D. Hieronymi opera, cura Dominici Vallarsi. Veronæ.* 1734. *T. I. p.* 937.

(h) Monasteria olim virtutum scholæ ac pauperum hospitalia erant, nunc proh dolor! videmus ea, quæ virorum sunt, in diversoria militum ac raptorum, quæ vero mulierum sunt, in *plerisque locis* in suspe-

pissima ebrietate (i), eosque intempestivæ & sor-

---

spectas de *innocentia* domos (ne quid gravius dicamas) esse commutata. *Concil. Coloniense. Anno* 1536. *Art.* 19. *c.* 8.

Absit, ut monachos (quod etiam dictu nefas est) Christi virginibus familiares esse velimus. *Concil. Hispalense* 2. *c.* 11.

Illud namque necessarium visum est de monasteriis puellarum, quæ in quibusdam locis *lupanaria* potius videntur esse quam monasteria. *Concil. Aquisgranense. Cap.* 12.

Masculum omnem declina, synisactum vero potissime. *S. Gregor. Nazianz. epigr.* 211. *in Anecdotis græcis; edit. Muratorii. Patavii.* 1709. 4.

Jam mihi est canities, corpus lanio, oculum domito,
Curis diurnis, nocturnisque absumo,
Animam ter miseram ut ab igne eripiam;
Sed nihilominus corpori ægre impero.
Quomodo vero tu (Monache!) & juventutem ferens, & carnes erigens ampliores elephanto. *S. Gregor. Nazianz. epigr.* 201. *l. c.*

Lib.

fordidæ gulæ deditos eſſe, (k) qui prælibandæ tantum æternitati ſeſe voverunt; induere

G 5 ni-

Lib. 3. ſimilitud. 9. cap. 11. § Herma narrat; Virgines quædam ita me allocutæ ſunt: nobiscum dormies ut frater, non ut maritus - - Ea vero, quæ ex illis prima eſſe videbatur, amplexata me eſt, & oſculari me cœpit, cæteræ vero, quum vidiſſent, me amplexari ab illa, & ipſæ cœperunt me ut fratrem oſculari - - Manſi ergo illa nocte cum eis juxta eandem turrim; ſtraverunt autem tunicas ſuas linteas in terram & me in medio collocaverunt, nec quidquam aliud faciebant, niſi quod orabant. *Id quod pie creditur. Anecdota græca edita a Lud. Ant. Muratorio. Patavii.* 1709. 4. *pag.* 235.

(i) Quid inhoneſtius quam vino aſſidue madidos ejusmodi helluones animarum curæ præeſſe, de quibus Propheta dicit: Væh ſacerdoti & prophetæ præ ebrietate erranti, & nunquam judicium aſpicienti! *Concil. Trevir.* 1548.

Qui ebrius eſt, non facile credat eſſe hominem, qui ne aquam quidem deguſtet, etiamſi hoc noſtro tempore multi monachorum fecerint. *Chryſoſt. opera. T.* 7. *pag.* 273. *edit. Montf. Paris.* 1718. *græce & latine.*

(k) Dum corpori dapem ſubminiſtrare volunt, non inferunt neceſſariam, ſed quam *guloſorum* hominum luxus ex immenſa cupiditate novo artificio comparavit. *Nilus Abbas. l. c. in exercit. monaſtica. Cap.* 9.

nihilominus monachos ſimulationem virtutis, & quamvis corda illita ſint felle & acerbo aceto, verba proferre mellea, & orationes lacteas, ad pietatem, caſtitatem, ſummamque morum ſeveritatem compoſitas (1); converti intra clauſtra monaſterii charitatem chriſtianam in graves inimicitias, jurgia, maledicta contumelias & rixas, nec religionis ſanctitate

nec

(1) Ita ut pietas a plerisque jam pro quæſtu habeatur, neque aliam ullam ob cauſam illi quondam beatæ & tranquillæ vitæ nos addicimus, niſi ut fictæ pietatis ſpecie laborioſa miniſteria effugiamus. *Nilus Abbas exercit. monaſt. Cap. 7.*

Ignarus etiam (Monachus) quis ſcopus ſit divinæ philoſophiæ jam ſupercilium phariſaicum adducit, & ob veſtem ſolam extollit animum, quaſi exculta probe virtute! – – Scopulus pro portu, pro templo ſepulchrum dealbatum, & pro ove lupus deprehenſus ad exitium eorum, qui ſunt decepti, ex eo quod apparet. *Ibid. Cap. 8.*

Multi etiam (Monachi) in ædes admiſſi ſimulata tantisper verecundia & malam, quæ eos urget, famam perſona hypocriſis obtegentes poſtmodum iisdem expilatis abeunt, adeo ut totum monaſtice vivendi inſtitutum jam publice infametur. *Ibid. C. 9.*

nec instituti norma continendas; (m) rerum omnium desperationem nonnullorum animos occupare, (n) applaudere demum omnes stultæ suæ inscitiæ nec addiscere quidquam præter ignorantiam. (o)

Hæc

(m) Ut domus semota habeatur hujusmodi, his qui fugere aut pugnis baculisve inter se voluerint confligere. *Convent. Aquisgranensis. Cap.* 40.

In monachis quoque præsentis sententiæ forma servetur; quos si verborum increpatio non emendaverit, etiam verberibus statuimus coerceri. *Conc. Agathense Can.* 28.

(n) Sunt qui humore cellarum, immoderatisque jejuniis, tædio solitudinis ac nimia lectione, dum diebus ac noctibus auribus suis personant, vertuntur in melancholicam & Hippocratis magis fomentis quam nostris monitis indigent. *Chrysostomus l. c. epistola* 125. *ad Rusticum.*

Hæc quæ de Patrum acerbiore reprehenſione corruptionis monaſticæ protuli teſtimonia, non ſunt quæſita ex occulto quodam aut ficto monumentorum genere, ſed ſumta de medio, ex rebus palam per antiſtites eccleſiæ geſtis, ad concilia delatis, & cum omni orbe chriſtiano communicatis. Quanto moderatius jam hæc vitia movit Phyſiophilus! Videbat non reformatos fuiſſe continua moderatorum eccleſiæ correctione, mores monachorum & in-

Nam ſi ad monaſticum inde ordinem te contuleris, citra primam illam obſervantiæ conventusque diſſonantiam ac nonnullas etiam inter obſervantes ipſos obedientiæ contentiones & ſciſſuras, ne qua præcipua *ignorantiæ*, ambitionis, avaritiæ, ac ſollicitudinis temporalis labes intimis eorum præcordiis medullitus inhæſerit, etiam atque etiam animadvertendum judicabis. *Concil. Lateranenſe, ſive Oecum.* 17.

(o) Qui vero pauperes ſunt & tenui ſubſtantia (monachi) videntur ſibi ſcioli; pomparum ferculis ſimiles procedunt in publicum, ut caninam exerceant facundiam; Alii ſublatis in altum humeris, & intra, neſcio quid, cornicantes, ſtupentibusque in terram oculis tumentia verba trutinantur, ut ſi præconem addideris, putes incedere præfecturam. *Chryſoſt. Epiſt.* 125. *ad Ruſticum.*

inveteratis per moras longiores vitiis vix superesse medicinam. Videbat quoque, quam esset hucusque vulgus stultissimis opinionibus de tunicæ monasticæ per compita ambulantis, mendicantis aut in otio putrescentis sanctitate præoccupatum, & remedii votum esse verius quam spem; noverat tamen esse festivum quoddam & jocosum admonendi genus, quod facilius penetret in mortalium animos, quam gravis, austera, & omni dictionis illecebra nudata veritas. Studuit ergo hac arte delicatis animis obrepere & cum voluptate mederi. Melle prælinivit absinthii poculum, ut gratior esset palato medicina. Prodesse voluit, non lædere, consulere moribus monachorum, non officere. Nihilo minus vitiligator, qui actionem hanc mihi intentavit, leviores esse monachologiæ nostræ nugas quam virum gravem deceat, & mordaciores quam ut christianæ conveniant modestiæ, caluminatur, caputque Physiophili anathemate ferit, quod cucullos polymorphos, funes multinodosos, centonesque cœnosos leviori joco adspersérit, & serena fronte sibilare maluerit, quam contracto supercilio perstringere vitia monachorum.

Superest forte: ut Patres & concilia ecclesiæ severitate hac animadversionis suæ non-

nul-

nullos tantum diſciplinæ monaſticæ aſſeclas caſtigaſſe opponat actor, cum in hac quoque centonatorum hominum turba plures & morum probitate, & doctrinæ præſtantia celebratiſſimos viros exſtitiſſe nemini non perſpectum ſit. Noſtis vero Judices! *exceptione* potiſſimum *firmari regulam*, & ridiculum fore: ſi ſimias omnes funambulas eſſe, modeſtas, cicuratas, innocuas quis diceret, cum docilior quædam per catadramum in foro decurrat, & ad nutum magiſtri ſpectaculi cauſa ſaltitet. Evaneſcet certo exiguus monachorum virtute & ſcientia clarorum numerus, ſi Agapetos, Syniſactos, Cœnobitas, Sarabaitas, Anachoretas, Eremitas, & mille monachorum formas, quæ velut ſalaces, & nocivæ plantæ in generoſo eccleſiæ agro, non ſine levi lætioris ſegetis detrimento hucusque propullularunt, in animum revocabitis, & cum paucula illa virtute & doctrina nonnullorum comparabitis ignorantiam, otium, ſuperſtitiones, vitia ſexcentum millium monachorum, qui hodiedum moleſtant Germaniam, inundant Italiam, ſtipant curiam romanam, tolerantur in Gallia, ſaginantur ambabus manibus in Hiſpania, adorantur in Luſitania, & patientiam religionemque incolarum utriusque orbis exercent.

Di-

Dixi a principio defensionis meæ, actorem falsa, inopportuna, & ridicula in Physiophili accusationem attulisse argumenta; hunc vero in monachologiæ specimine non sacerdotes, sed vanæ religionis sacrificulos communi SS. PP. assensu, idque summa & laudabili cum moderatione insectatum esse. Videor mihi, ni mea me fallit conscientia, utramque orationis partem explevisse; nec jam accusabo adversarium non me magis actione hac sua offendisse, quam vos, quorum annutu publici juris factæ sunt Physiophili facetiæ; Vestrum est judices reprimere hanc audaciam, ne diuturna impunitate munita aliquando erumpat in perniciem reipublicæ. Vestrum est admonere hominem religiosum: esse modum quendam religionis; placari numen æternum rite perpatrato sacrificio, non muliebri religione; augustum esse munus sacerdotis puri, modesti, gravis, ad aras litantis, sed contemnendas esse excantationes & fraudes personati sacricolæ, piis præstigiis & evocationibus plebem fascinantis; sancta esse & veneranda numina, divos, templa, aras; at non violari ecclesiam. si tollan-

tur

tur nugæ & crepundiæ e medio ſacrarii; at impune explodi cucullos, funes, tunicas, larvas, mimos, in atriis templorum circumvagantes. Veſtrum eſt jam ferre ſententiam, & ſi vobis videtur, abſolvere Phyſiophilum, contra vehementem nimiumque ſuperſtitioſum accuſatorem diſputantem, ut & ſua ſint virtuti & religioni præmia, quæ pridem tulit hypocriſis & ſuperſtitio.

CO-

COSMÆ NECROTOMI

ANATOMIÆ IN NOSOCOMIO ROMANO AD S. SPIRITUM PROFESSORIS ORDINARII

ANATOMIA MONACHI

AD VIRUM

CL. JOANNEM PHYSIOPHILUM.

Rem acu tetigisti Physiophile! Monachus non est homo. Quod tu e characteribus externis empirice tantum suspicatus es, ego scrutando interiorem machinæ anthropomorphæ structuram, pragmatice jam expertus sum. At si quid gloriæ in me redundat, ope anatomiæ

ſententiam tuam primum confirmatam fuiſſe, ſemper honos, nomenque tuum laudesque manebunt, cui inventionis utiliſſimæ gloria diſputari nequit; utiliſſimæ inquam, quia ſummorum anatomicorum effata, ſæpe toto cœlo diſtantia, ſola hac diſtinctione componuntur: hunc monachos, illum homines disſecuiſſe, & cum uterque ſe unum idemque ſubjectum, hominem ſcilicet, tractaviſſe putaverit, accidiſſe: ut reſultantes ex erroneo ſuppoſito obſervationes quam plurimum differant.

Sed rem agamus amice! nec enim tu laudibus meis indiges, nec eas a me expectas, quem a tot annis arctiſſimo amicitiæ vinculo tibi conjunctum eſſe non ignoras.

Vix famigeratiſſimum Monachologiæ tuæ ſpecimen ad me delatum fuit, cum dubius: an per jocum tantum, ut ſoles, an ſerio ex hominum genere monachos expunxeris, hypotheſin tuam accuratius indagare propoſui. Adferri curavi in theatrum anatomicum noſo-

ſocomii noſtri plura monachorum cadavera, & juxta leges artis examinavi omnia. Vicit eventus expectationem; inveni enim, comparando horum viſcera cum humanis, monachi fabricam interiorem, & organa ad *digeſtionem* ſolum, & *procreationem* deſtinata eſſe, nec habere quid commune cum homine præter formam externam, quæ forte cauſa eſt, quod actiones humanis ſimillimas, quamvis involuntarias ſæpiſſime aut inſtinctu animali ſolum excitatas, proferat monachus; id quod ejus anatomia, quam judicio tuo ſubjicio, uberius demonſtrabit.

Aperto ventre & remota ſentina excrementorum, quæ non ſine gravi meo & diſcipulorum incommodo tantum putredinis exhalabat, ut vel ex unius monachi ventre, ſi aerem inflammabilem a mephitico nonnihil ſeparares, facile machinam aeroſtaticam impleres, cui hodie inequitant Galli, & per aera feruntur, partes *veſtientes*, ſeu *integentes* exploravi. Nec differebat cuticula, cutisve ab humana; cuti vero pinguedinem nullam, ſed, ut in brutis pluribus & præcipue in ſimiis ſolet, pro-

xime membranam carnofam fubftratam vidi, Ablatis demum mufculis abdominis, & remoto peritonæo nonnihil craffiore, in confpectum venit omentum adipofum, vel fi mavis, adipofiffimum, inteftinis inftratum & ad os pubis usque procurrens, ut velut pulvinar ventrem tegat, &, ob adipis copiam, coctionem magis promoveat, cum, ut fupra monui, principale corporis monaftici officium fit, coctio alimentorum, quæ quo magis augeatur, aut nunquam e defectu caloris interrumpatur, monachi, præfertim nudipedes & gymnoprocti ventriculum quoque artificiali quodam omento feu indufio laneo, &, quod plus eft, fcapulari per ventrem decurrente, vel tunica biplicata fuperveftiunt, ad exemplum gladiatoris illius, cui Galenus omentum abftulit, &, ne frigore inteftina lædantur, ventrem lanis obvolvit.

Profpexit quoque natura monachis, qui ex inftituto nonnunquam jejunant, pinguiore omento; adeps enim in inedia vertitur in alimentum & inefcat partes, donec proprium nutrimentum accedat.

Poft

Poſt omentum partem nobiliſſimam monachi, ſtomachum, ſeu ventriculum penitius inſpicere ſtudui. Sed vix fidem habebis obſervationi, vix ipſemet mihi crederem, ſi non his oculis vidiſſem, ſi non his manibus palpaſſem, ſi non repetitis obſervationibus idem ſemper expertus eſſem. Ventriculos quatuor detexi, ejusdem omnino ſtructuræ, ut in brutis ruminantibus eſſe ſolent; *ventriculum* nempe, *reticulum*, *omaſum*, *&* *abomaſum*. Phænomeno hoc tam ſingulari perculſus mille hypotheſes formavi, quarum unamquamque, vix adoptatam, iterum rejeci, & quod æquiſſimum putavi, tandem nihil ſtatuere, ſed examinare ſingula, & educere corollaria volui.

Ventriculis quatuor animalia ruminantia gaudere pridem Ariſtoteles & poſt eum zoologorum unusquisque adnotavit. Num vero & monachi ruminant? Mihi quidem id luce meridiana clarius videtur. Quid enim horarum canonicarum recitatio, vel, ut tu vocas, clamor monachorum certis dierum horis erumpens aliud eſt, quam ruminatio? quæ poſt prandium & cœnam potiſſimum peragitur, ut

repetita in ore cibi maſticatio perfectiorem concoctionem promoveat. Fors ideo monachi, rudiore pabulo ſeſe nutrientes, clamant, ejulantque fortius, quam delicatiore alimento utentes, qui pſalmos ſuos tantum murmurant.

Interea hallucinabantur certo Phyſiographi, qui in brutis, utraque maxilla dentata inſtructis, unicum tantum ventriculum ſtatuerunt; id quod jam *Riolanus* tacite refutavit, qui in homine — veroſimilius in monacho quem pro homine habuit — bis duplicem ventriculum obſervavit. Si vero monachus ad animalia ruminantia ſpectat, quæritur, an in arca Noachi monachus quoque contra commune excidium, orbi ſublunari per diluvium intentatum, conſervatus fuerit? An unica, an plures primigeniæ monachi ſpecies, a quibus aliæ derivantur, hanc zoothecam univerſalem intraverint? quod ex ſacris paginis conjicere licet, ubi Noæ præcepit Dominus: ex animalibus mundis, quibus ruminantia adcenſentur, ſeptena & ſeptena, maſculum & fœminam in arcem recipere. (a) Ne vero in ten-

(a) Geneſ. c. 7.

tentamen philologico-criticum abeat discussio hæc anatomica, jam ad quadruplicem monachi stomachum revertamur.

Nosti *Helmontium*, famosissimum illum & celebratissimum medicum, qui sese miracula corporis humani a divo quodam magistro edoctum & interiora naturæ profundius scrutatum fuisse, non sine fide jactitavit, *Helmontium* inquam sedem animæ in stomacho, tanquam centrali puncto posuisse. Si sententia hæc de homine absolute quidem probari nequit, de monacho tamen extra dubium posita est. Stomachus monachi enim præest, & dominatur omnibus ejus facultatibus; hunc quasi unicum actionum suarum motorem farcire satagit; hunc curat, huic studet, hoc repleto gaudet, cantat, prurit; hic est sedes appetitus; hic nobilissimum monachi officium — digestio — absolvitur; hæc est principalis ejus pars; quod e continuatione tentaminis mei anatomici patebit.

Nec obſtat, quod ogganiunt *Bartbolinus* & reliqua anatomicorum turba: ſententiam hanc indignam eſſe, quæ animæ locum adſignat cibis impuris continuo ſcatentem; ridiculam, quia voraciores monachi plus animæ habere viderentur, quam minus appetentes; abſurdam, cum e fonte tam impuro facultates nobiles dimanare nequeant. At de monacho ſermo eſt, non de homine.

Si enim nobilior anima humana domicilium in cerebro fixit, ut in hoc promtuario idearum proximior ſit ad edendas per corpus humanum functiones ſuas, quo aptius animæ monaſticæ ſedem collocabimus? quam eo, ubi ſemper in nutrimento ſuo natat, aut volutatur, unde vires ad actiones ſuas producendas continuo haurit. Nec ingratior eſſe poteſt animæ monachi ciborum varii generis in ventriculo confluentium aſpectus & odor, quam animæ hominis diverſiſſimarum idearum in cerebri medulla enatarum aut excitatarum farrago. Docet demum experientia: monachos eo magis animatos eſſe & vigere, quo ſunt voraciores, & ab anima, ſi animam appellare licet, monaſtica, præter digeſtionem, procreationem,

&

& evacuationem, facultates alias nobiliores nequaquam exerceri.

Opponet forte quispiam actiones quasdam, humanis affines, produci a monachis; sed eas omnes ortum a ventriculo ducere facile explicabimus, Videmus, ut rem exemplo dilucidem, monachos per compita & vicos vagari, & imitari circumforaneos apostolos, quos, quia annuntiando quatuor novissima populum ad pœnitentiam & sanctiorem vitæ rationem excitant, missionarios vulgus vocat. Qui sese ad imitationem hujus actionis accingit simius monachus, per dies aliquot lauto convivio stomachum implet. Immersa cibis anima in *ventriculo*, qui custodiendo cibo crassiori servit, moratur; decomponentes sese circacircum cibi in anima monachi mortis & corruptionis imaginem excitant, quam lamentabili ejulatu auditoribus annuntiat. Detruduntur dein decomposita & macerata alimenta in *reticulum*, ut a fluidis separentur solida. Inhærens his & emota hoc spectaculo anima monachi separationem justorum ab injustis seu judicium universale per os eructat;

evacuatis per ductus naturales ſordibus quærit monachi anima in *abomaſo* nutrimentum, quod poſt ruminationem maſticatum eo rediit, ut ſaliva mixtum denuo comminuatur, miſceatur, recoquatur, & in chylum, non ſine magna fermentatione, mutetur. Hæc fermentatio ignis gehennæ levem quidem ſed aliquam tamen ideam parit, quam non ſine contorſionibus, & lamentis, ab inani præcipue ſtomacho excitatis, cum auditoribus communicat monachus. Loculis his tribus ventriculi exhauſtis, & extenuatis per jejunium, cucullatis his circulatoribus tempore pſeudomiſſionis præceptum, horror vacui animam monachi in *omaſum*, velut extremum aſylum, cogit, qui tenuius pabulum & præſertim liquida recipit. Innatans ibi vino & cereviſiæ abluitur ab inhærentibus ſordibus, ſeſe agitat facilius, in ſereno & ſpirituoſo æthere victitat, & per vocis organa incomprehenſibilia paradiſi gaudia declamat; en actionem humanæ ſimillimam, quæ plebem maxime faſcinat, & fors oculatiſſimos obſervatores in errorem induxit, ut monachum cum homine confunderent, e ventriculi ſtructura declaratam & in actionem pure animalem reſolutam! En utilitatem ana-

to-

tomiæ, ad excolendum pſychologiæ ſtudium, reſtitutam!

Quod ad ſtomachi ipſius fabricam, plicas, orificia & fibras attinet, nihil a communi brutorum ſtructura aberrans vidi, præter cruſtam, calcaream ni fallor, quia, veluti tartaro, parietes & rugoſæ ventriculi membranæ obducuntur, quam a vino, quod copioſius haurit monachus, deponi ſuſpicor, quia in omaſo potiſſimum abundat. Id quoque adnotandum eſſe putavi: in fundum ventriculi monachorum inſeri partem meatus fellei, per omnem ſtomachum multiplici ramo luxuriantem, unde inſatiabilis vorandi & bibendi ſtimulus, perfectior concoctionis operatio, & fors id explicatur: cur bilioſiſſimum hoc animantum genus miſanthropia æternum laboret, bilemque in genus humanum continuo evomat.

Non te fugit mi Phyſiophile! quantum diſputatum fuerit inter medicos: an liquida,

in ventriculum recepta, nonnisi per sinuosos renum meatus in vesicam destillent, an vero rami plurimi venæ gastricæ ventriculum perreptent, qui tenuiorem & subtiliorem alimentorum partem exsugunt & immediato ductu ad vesicam deferunt; illi venam gastricam hanc functionem exercere negarunt; hi in medium protulerunt exempla bibonum, qui tantum hauriebant, ut incapacem hujus diluvii stomachum rumpi oportuisset, nisi natura adaptasset portam quandam, per quam absque impedimento in vesicam via recta derivarentur fluida. Dissectiones cadaverum, quas institui, litem facile component. In homine venam gastricam hoc officio vix aut ne vix quidem fungi, in siticuloso monacho autem per eam liquida immediate in vesicam deduci expertus sum, quod dudum *Hunterus*, anatomicorum ævi nostri facile princeps, qui systema vasorum absorbentium tam ingeniose dilucidavit, observasset, nisi e Britannia feliciter exularent monachi, ipsique anthropomorphum hoc animantum genus eviscerandi & cum homine comparandi opportunitas denegata fuisset.

Pro-

Profecutus officium anatomici defcendi in infimum ventrem & Duodenum, Cœcum, Colon, Rectum & inteftina reliqua perfecta quidem at non in gyros convoluta, fed fere recta aut tantifper finuofa vidi, ut in animalibus gulofis & rapacibus, præcipue in lupo, effe confuefcunt, nec dubito cadaver helluonis illius, in quo unum tantum inteftinum, figmæ forma intortum, vidit *Cabrolius*, a monachi anima quondam vivificatum fuiffe.

Infpectis organis primæ coctioni vel chylificationi dicatis, acceffi ad ea, quæ ad fecundam coctionem feu fanguificationem, & dein quæ ad procreationem faciunt. In his primum occurrit hepar, validis abdomini & diaphragmati annexum ligamentis, quatruplo vel quintuplo majus ac in homine, & in lobos plures divifum; magnitudo hepatis a nutrimentorum copia, & gula monachorum verofimiliter oritur; forma lobata vero probat, internam monachi fabricam vix non eandem effe, quæ in brutis, & *Plempium*, qui jecur humanam femper in lobos divifum effe afleveravit, non erraffe, nifi quod eas, quas e diffectionibus monachi haufit, obfervationes, corpori hu-

humano attribuerit. Adhæret fideliter hepati vesica biliaria, seu folliculus fellis, in biliosis his animalibus major quam in homine. Subintrans per meatus felleos copiosior bilis, hepar mirum quantum calefacere, digestionem confortare, & corpori monachorum, quod a putredine quoque tuetur, optime conducere debet, ita ut bilem recte cum *Helmontio* balsamum sanguinis monachorum appellares.

In sinistro hypochondrio lien seu splen, crassum satis, &, ut in brutis calidioribus apparet, nigricans, lustravi.

Memineris me, cum de ventriculo monachorum supra egi! *Helmontii* sententiam, quæ animæ, saltem monasticæ, sedem in ventriculo adsignat, amplexum esse; nec jam partes celeberrimi hujus physici deseram, qui lienem pro organo immediato animæ sensitivæ venditat, per quod vitalis animæ in stomacho residentis actiones determinantur, & in quo intellectus monachorum latitat.

In-

Intimam lienis cum ventriculo connexionem nemo neſcit, & ſi anima monachi in ventriculo habitat, oportet quoque, ut actiones ſuas exerceat per organa ventriculo proxima, cujusmodi lien eſt, ad ſanguinem per totum corpus emittendum deſtinatum, pluribusque arteriis repletum. Egregie huic opinioni noſtræ ſuccurrit celeberrimus quidam Phyſiologus pariſinus, qui ſtomacho repleto lienem minoris eſſe voluminis obſervavit, quam eo vacuo. Cibis enim farcto ventriculo anima monachi tota abſorbetur, & immergitur nutrimentis, nec actiones quasdam alias per totum corpus manifeſtat, id quod in refectorio cœnobii cujusvis oculis veluti ſpectare licet, cum illato prandio nemo monachorum loquatur, aut præter inſtrumenta maſticationis quid moveat, ſed oculi omnium dapibus affixi hæreant, ita ut unusquisque voluptate vorandi quaſi abreptus eſſe videatur. Hoc intervallo in liene nulla certo producitur actio, & ideo volumen ejus minuitur; decompoſitis & comminutis in ventriculo his alimentis incipit anima monachi agere, digerere, digeſta per canales ordinarios ſecernere, & , de novo nutrimento ſollicita, confortare & excitare nutritionis organa, & hoc in momento turget

get his curis oneratus lien; nec non inde explicabimus, cur lien a nonnullis ſedes riſus appelletur; pleno enim ſtomacho contractior lien, per nervorum cum ore communicationem, riſum in muſculis vultus monachi effingit, qui evaneſcit iterum, quam primum repletio ſtomachi ceſſat. Ut denique omnia, quæ ad lienem pertinent, abſolvam, crediderim: quod ſi, ut opinatur *Plinius*, *Fluddus*, *Fioravantius* & *Ruſſetus*, homo exempto e corpore liene vivere poſſet, id impoſſibile fore in monacho, utpote in quo læſionem receptaculorum animæ, ſtomachi videlicet & lienis, lethalem eſſe oportet.

In parte ſuperiore regionis lumbaris occurrerunt renes ampli ſatis, durique, ſuperficie inæquali, & e teſſulis quadratis triangularibusve botrytim compactis artificioſe compoſiti, ruberrimi, multo undequaque adipe circumfuſi. Non me latet recentiorum obſervationibus certum eſſe: renes unice ad percolandum ſeroſam & aqueam ſanguinis partem, eamque per ureteres in veſicam deducendum formatos eſſe. In monacho

ve-

vero res aliter ſe habet. Diſciſſis enim renibus tetrum ſpermatis odorem & ego & circumſtantes diſcipuli perceperunt, nec ullus noſtrum dubitavit, hoc in organo, ut pridem, præeunte *Olbaſio*, *Sennertus* & *Olaus Wormius* de renibus humanis aſſeruit, focum ardentem exiſtere, in quo ſemen coquitur, præcipue quum ad deferenda in veſicam fluida & ſeroſa venam gaſtricam cum ventriculo communicare ſupra innuerimus. Renes ergo officina propria ſunt ſpermatis monaſtici, in qua ignis inexſtiguibilis impuræ Cœnobitarum laſciviæ ardet, conſervatur adipe circumfuſo contra adfluens ſerum, augetur frictione induſii lanei, cilicii, cinguli, aut funis, & flagellis, renibus nonnunquam illatis, ſufflatur.

Renibus incumbere vidi capſulas atrabilarias, orbiculares fere, & duplo majores, quam renes ſuos ſuccenturiatos deſcribit *Caſſerius*. Repletæ erant humore fœculento, nigro, biliario. Si de uſu harum glandularum hodie adhuc inter ſe altercantur Phyſiologi, ego earum finem eum eſſe in monacho pro-

nuntio: ut ſperma e renibus deſcendens & hac vaſa præteriens ſemper bile inquinetur, hocque modo futuræ quoque monachorum generationi, vel ſi verbo uti licet, ipſis homunculis monaſticis, germen bilis inſeratur, quam adultior monachus in ſingulos a tergo, aut in omnes e ſuggeſtu aliquando evomat.

Ureteres exiles, tenues & ob immediatam fluidorum e ventriculo in veſicam derivationem vix in alium uſum exiſtere in monachis ſuſpicor, quam ut exitus pateat ſuperfluo ſero, quod nonnunquam immittitur in renes, ut irritatus aqueo humore ignis eo lætius ardeat. Nec de veſica, quod referam, habeo, niſi quod, ſi matula corporis in homine dicitur, dolium in corpore monachi appelletur oportet, quod cruſta viſcoſa & elaſtica e fœce vini concreta circa circum munitum eſt, ne acrimonia urinæ corrodatur, aut copia continentis fluidi disrumpatur.

Ta-

Taceo vaſa ſpermatica, præparantia, deferentia, ejaculatoria, & cetera ad procreationem pertinentia organa, quæ in monachis junioribus robuſta, fini conſentanea, & perfecta, in ſenioribus vero longiori & frequentiori uſu exinanita & exhauſta ſemper apparent; teſticulos autem ſilentio præterire nequeo; non enim a vero abhorret, in his ſpiritum monachorum e ſpermate recocto & repurgato gigni, indeque per totum corpus diffundi; quam *Galeni* ſententiam hodiedum gallus quidam phyſiologus — e monachorum fors disſectionibus — corroboravit, qui teſticulorum & cerebri eandem plane eſſe materiam docuit. In tenebricoſis his teſticulorum latebris ſedet æternumque ſedebit infelix monachorum ſpiritus & ingenium; fruendi libidine ſolum occupatum. Ex his ergaſtulis erumpunt aſtutiæ, fraudes, blandimenta, impura deſideria prurientis monachi, lubrica & ingenioſa veneris certamina, ſtupra, raptus, & reliqua hujus generis facinora, quæ ſevera quidem fronte & triſti ſupercilio, at non pudore & temperantia tegit monachus; nec incapaces tantæ rerum molis teſticulos monachorum credas, nam maximi ſunt, itaque conſtituti, ut, ſi Romanos recte feciſſe aſſerant

jurisconsulti, quod ex lege nemo nisi testiculatus testem agere potuerit, sacrum quoque inquisitionis tribunal optime officio suo prospexisse videatur, cum monachos testes omni exceptione majores esse declaraverit, utpote testiculatissimos. In pene extraordinarium nil observavi, & rem ultra fidem exaggeravit D. Gregorius Nazianzenus (b), dum monachum carnes ampliores elephanto erigere narrat.

Absoluto infimo ventre ad medium & dein ad summum ventrem ascendi. Præplacet mihi hæc anatomicorum in summum, medium, & infimum ventrem divisio præcipue in monacho, qui totus quantus venter est.

Pri-

(b) Vide Muratorii Anecdoda græca; epigr. 201. Patav. 1709.

Primæ in thorace occurrentes partes ı ammæ erant, pilosæ, & subjecta pinquedine elatæ nonnihil. Operæ pretium non esse putavi has dissectioni particulari subjicere, sed annuens tantum opinioni tuæ, quæ monachum mammalibus adcenset, scalpello interiora thoracis pervestigavi.

Diaphragmati summum consensum esse cum cerebro humano, ideoque delirare hominem læso diaphragmate medici dudum statuerunt; at ego hunc nexum diaphragmatis cum cerebro monachorum, id est cum testiculis detegere non potui. Mente quidem captum monachum dices prurientem, aut inhiantem prædæ; quum vero cerebrum monachorum partibus generantibus proxime adhærere jam demonstravimus, diaphragma hic, quod agat, non habet. Sed esse quandam testiculorum cum musculis oris communionem *Riolanus* ad oculum evicit, qui convulsivum risum sub castratione cujusdam — monachi? — observavit, quem sardonium risum a nervorum, a testiculis ad os ascendentium, vellicatione, &

divaricatione provenire putaverim; Videtur denique diaphragma in monacho ade se solum ad liberiorem respirationem, & excrementorum exclusionem.

Post diaphragma ad pericardium — alterum cordis involucrum perveni, quod humore vinoso repletum reperi. Nec displicet Aristotelis sententia, majorem hujus humoris quantitatem a copiosiore potu esse, cujus pars aliqua, roris modo, ex aspera arteria fors in venosam penetrat, ut cor monachi humectet, refrigeret, & exhilaret. Ruptis his claustris cor ipsum curiosius lustravi, quod hucusque pro principe animalis cujusvis parte habui. At aberrat in quavis fere monachi specie cordis forma, magnitudo & materia. In quodam monachi Latrappii cadavere cor plane nullum deprehendi, quam cordis absentiam *Schenkius* quoque olim adnotavit. An a dæmone suffuratum fuerit? ut vult *Bartholinus*, an vita horum alio quodam modo sustentata fuerit, disputationi physiologorum relinquo. E monacho hispano, sacri olim tri-

tribunalis, quod in hæreticam pravitatem inquirit, officiali, cor pilosum, & hirsutum extraxi, quod in latronibus quibusdam se quoque vidisse testatur *Benivenius*, & *Muretus*. Cartilagineum cor autem, quale in scelesto quodam observavit *Riolanus*, in monacho, sacræ inquisitionis apud nos præside, vidi. Cæterum in omnibus monachis cor minoris est voluminis, quam in homine, quia callidius est & audacius hoc mammalium genus. Num vero in monacho axillæ emunctoria cordis, ut in homine, an renum emunctoria dici debeant, dubito, quia hircum potissimum olent; Patet ex his, quæ attuli, cor nullius omnino momenti, & quasi superfluum nec ad aliud quid destinatum esse in monacho, quam ut sanguinem venosum ab auriculis acceptum in arterias transmittat, totique corpori nutrimentum dispenset, quod officium natura forte per hepar supplet in monachorum speciebus, quæ corde penitus carent.

Nequit autem monachus carere pulmonibus, ceu instrumento unico, quo provida na-

tura hoc animal, quod cum ſui generis hoſtibus pugnis dimicat, in perniciem generis humani armavit. Utitur his armis ſedulo monachus. Inflatis pulmonibus, excitat, deſperat, accuſat, execratur, excommunicat, anathematizat, & effutiendo dira quæque damnat, & pœnis æternis addicit quotidie genus humanum; addit his convicia, calumnias, detractiones famæ, ſuggeſtiones, minas, declamationes, & hac non interrupta pulmonum exercitatione, quæ fixo certis diei & noctis horis latratu, ejulatu, clamore, cantu augetur, follis inſtar aerem inſpirat fortiter exſpiratque, & ſic pulmonibus tanquam flabello calorem cordis & ſanguinis ventillat & refrigerat. Ideo bipartitos monachorum omnium pulmones, magnos, elaſticos, molles, flexiles ſemper vidi, & conclamatum eſſe de monacho arbitror, cujus pulmones vitio quodam, quod plenum eorum uſum impediret, laborant.

Adnati huic folli canales minores ramoſi coeunt tandem in fiſtulam, quam tracheam, ſeu aſperam arteriam appellamus, per quam

aer

aer adfertur pulmonibus, & in cujus ſuprema extremitate ſeu larynge vocis modulatio perficitur. Nil differt in monacho a communi & ideo in contractione, exſiccatione, humectatione vocalis hujus fiſtulæ potius, quam in ejus figura cauſam diverſi in quavis monachorum ſpecie clamoris quærendam eſſe exiſtimo; experti ſumus ab abundantia potus & oleoſo humore contrahi tracheam & raucam fieri, exſiccatione autem intendi, & clangoſam evadere; inde profundus, raucus, ingratus, aſper, naſalis, diſſonus, tremulus vocis ſonus in bibulis, ichthyophagis, aut oleo victitantibus monachorum ſpeciebus; in illis autem, quæ ſiti æterna cruciantur, vox clamoſa, & clangoſa; quamvis non diffitear, fiſtulæ pulmonariæ & maxime laryngis amplitudine, anguſtia, brevitate, longitudine, & ut Hippocrates innuit, nimio vel moderatiore veneris uſu in ſingulis monachis aliquam vocis mutationem produci poſſe.

Adſtat tracheæ non ignobilior altera fiſtula, œſophagus nempe, a faucibus recta deſcendens in ventriculum, ut per hoc infundi-

bulum appetenti animæ nutrimentum breviſſima via advehatur. Utrumque hunc canalem ambit, & continet collum, per quod ſummus venter cum medio conjungitur, craſſius in nonnullis monachorum ſpeciebus, depreſſum in omnibus. Hæc colli ſeu cervicis depreſſio, & dorſum incurvatum, quod in ſceletis monachorum paſſim ſpectare licet, videtur doctiſſimum italorum phyſicum in errorem induxiſſe, qui nuper plane hominem a natura eo deſtinatum eſſe prædicavit, ut prono corpore quatuor innixus pedibus ingrediatur; ego vero ex eadem hac colli & dorſi ſtructura præſuppoſui: monacho perpaucum eſſe cerebri, & nequaquam mobile; cum enim erectos ad ſidera vultus tollere nequeat, cerebrum fixum eſſe oportet, quia mobile, & ponderoſius in depreſſo capite per gravitatem ſuam ex adſignato ſibi loculo cxcideret; & cum proprium monachi cerebrum alio in loco, capiti e diametro oppoſito, lateat, in hujus granio vix tanti voluminis eſſe poſſe ſuſpicatus ſum ac in brutis omnibus, quæ capite depreſſo incedunt.

Nec

Nec fefellit me opinio; diffecto enim capite cerebri quidem nonnihil, fubftantiam vero medullarem & cerebellum nullum confpexi. Nec a vero eft abfimile idem phænomenon frequentius in pluribus Francifci & Dominici monachis obfervatum fuiffe, quia utriusque hujus fpeciei lumina *Thomas Aquinas*, & fubtiliffimus *Scottus* ne cerebrum quidem ullum ad vitam humanam neceffarium effe docuerint. Fors & ideo capite rafo incedit monachus? Si enim ad ornandum cerebrum capillos pertinere pronuntiant phyfiologi, an opportune ageret monachus, qui prætenderet hederam cauponæ, quæ vino caret? Pafcunt vero barbam voraciores nonnullæ monachorum fpecies, ut, quod operæ pretium eft, exornent, & venerabiliorem reddant portam, quæ machinam mafticatoriam, cibos ad faciliorem concoctionem præparantem, claudit, in qua prima fit cibi apprehenfio, & per quam ingeruntur in ventriculum alimenta corporis & animæ monafticæ.

Reliqua capitis & vultus forma ab humana non diſcrepat; nec jam his omnibus plura addam, ne patientiam tuam fatigem, præſertim cum primum ex ſubſecivis monachorum diſſectionibus, quas omni ſtudio proſequar, muſculorum, artuum, arteriarum formam, & nexum, nec non oſſium compagem, & horum omnium differentias & aberrationes extricare licebit, quæ ſi digna attentione tua credidero, tecum communicare non intermittam.

Interea ex his, quæ attuli, obſervationibus argumentari poteris: ſtomachum, lienem, pulmones, & genitalia partes eſſe principales monachi, cujus anima in ventriculo, intellectus in liene, ſpiritus in teſticulis, arma in pulmonibus hærent, & vix pro miraculo haberi poſſe, ſi monachus absque capite ambulet aut transfixo corde loquatur. Eſſe demum monachum nequaquam hominem, ſed animal anthropomorphum, non ratione ſed inſtinctu ſolum naturali agens, in quo proprie

Cor

Cor nil agit, pulmo loquitur, fel commovet
iras,
Ventriculus cogitat, teſticuli ſapiunt.

Vale!

Dabam Romæ in Noſocomio
S. Spiritus V. May.
1784.

3.



2.



1.



8. a.




5.



4.



8. b.




7.



6.





1.



2.



11.

3.



4.



12.

5.




10.

6.



7.




8.



9.




1.
5
4.
3.
2.
6.
7.
10.
9.
8.


1.




2.



3.



4.




1.




2.




3.



4.




5.




6.



1.



2.



3.



4.



6.



5.

